OAN. MARTINI CHLADENII

ANTIQVIT. ECCLESIAST. PROF. PVBL. EXTRAORD.
COLLEGII PRINCIPVM MINORIS COLLEG.

DE

STATIONIBVS
VETERVM CHRISTIANORVM

COMMENTARIVS

AD

ILLVSTRANDVM MAXIME

TERTVLLIANVM

COMPARATVS.





LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.
ANNO CIↃ IↃCC XXXXIIII.



STATIONES
VETERVM CHRISTIANORVM.

§. I.



Tam crebram veneranda Ecclesiae vetustae lumina mentionem *stationum* faciunt, vt eas non postremam cultus sanctioris partem facile agnoscas; vnde in strenuo antiquitatum cultore non potest non iustus subnasci metus, ne, si vetustae huius nesciat religionis indolem, eximium fortasse quid, et quod ignorare turpe sit, ignoret. Si igitur docta excitatus cupiditate, quid tandem *statio* sit? requiras, eius-

que rei gratia multa, vt fieri in ſolerti obſcurae rei inueſtigatione ſolet, teſtimonia colligas, turbari citius animum, quam certa cognitione imbui experieris. Nec, ſi inſtes operi, nullumque, qui de ſtationibus agat, locum intentatum relinquas, propterea ſtatim naturam *ſtationum* inſpicias, quin potius, ne ipſa tibi obſtet turba, et viſum intercipiat, habebis, quod caueas. Reſtat, vt docili interpretes antiquitatum animo adeas, eorumque adiutus luminibus veteres Chriſtianos operam ſtationibus dantes cernas. Non deerunt ſane tibi monitores, quorum alius autor tibi erit, vt, quoties ſtationis nomen, patrum ſcripta euoluenti, tibi offeratur, non aliam iſti tribuas poteſtatem, quam quae, vulgari Latii ſermone *ieiuniis* tribuenda eſt: erit alius, qui cultum publicum quartae feriae, ſextaeque, cuiusque hebdomadis, ſtilo veterum, ſtationes vocari, te doceat: accedet fortaſſis tertius, qui alterutram ſignificationem, diuerſis locis, voci ſtationis adhaerere, ſibi tibique perſuadere cupiat. Qui monſtratores, nominatim a nobis mox compellandi, etiamſi antiqua ſua ſingularis doctrinae fama, extorquere fidem videantur, nec argumentis omnino incedant vacui, tamen cum et diſſentiant inter ſe, nec ſingula, quae perſpicere cupias, Patrum, Tertulliani maxime, dicta illuſtrent, non-

dum

dum omni follicitudine confultantem exfoluunt, quin potius noua, nec quicquam leuiori, vtra ex iftis fententiis, aut an omnino vlla, veritati confentiat, quaeftione impediunt. Eum igitur in locum res iam deducta eft, vt noua quaeque, de ftationum ritu, fententia, quantumuis rationibus munita, antiquisque teftimoniis congruens, diffentientium tamen prematur autoritate, nec tam praecipitem hominum non rudium fidem, quippe quam contrariae fententiae fufpenfam tenent, quam feuerum potius debeat eorundem iudicium expectare. Hac igitur tempeftate cum breuem de ftationibus Commentarium inftituam, quid vel lectori, vel autori, vel vtrique expediat, non multo acumine opus eft, vt praeuideam. Sententias eruditorum, a quibus recedo, primum omnium excitandas effe video, argumentisque ita grauibus oppugnandas, vt lectores nondum meliora edocti, ipfi iam meliorem defiderent interpretationem: deinde, cum, ad doctrinam, quam ftabiliendam fufcipio, lectores perduxero, id opera danda erit, vt veram ftationis notionem, mea opera, non tam ad Tertullianum intelligendum afferant, quam e Tertulliano recte infpecto, et intellecto, id quod mihi vfu veniffe aliquantum gaudeo, addifcant. In hoc enim autore potiffimum illuftrando verfabitur

noſtra commentatio, vtpote qui et frequentiſſime hunc ritum memorat, et ea aetate vixit, qua praeterlapſa, mox ſtationum vſus, tandem etiam memoria, quam inſtaurare cupimus, exſtincta eſt.

§. II.

Ac primam quidem, eamque Tertulliano intelligendo maxime inimicam, ſtationum explicationem, hanc deprehendo, quae eandem plane ſtationum, atque ieiuniorum, quondam fuiſſe religionem docet. Cui erroris opinioni obuiam ituri, hanc I. veritatem aſſerendam ſuſcipimus: *Stationes, ſeculo ineunte tertio, a ieiuniis penitus fuerunt diſtinctae.* Quod vt planum facere queam, id ab eo, qui noſtrae aſſertioni aut repugnat, aut diffidit, mihi dari cupio, de ſtationum indole non aliunde rectius, quam e Tertulliani teſtimoniis iudicari: porro, ſi ſtatio nullibi, apud Tertullianum, ieiunium deſignat; certiſſimo id eſſe indicio, maximum, iſtius Patris aetate, diſcrimen ieiunium inter atque ſtationem interceſſiſſe. Vtrumque ita poſtulo, vt quam iuſtam renuendi cauſſam prouidus, amans tamen veritatis, aduerſarius petitioni noſtrae opponere queat, nullam omnino videam. Aequitate igitur lectorum fretus rem ipſam adgredior, eiusmodi primo loco teſtimonium expromendo, in quo perſpicuum, et quod nulla arte

arte eludi poſſit, ſtationum et ieiuniorum diſcrimen conſtituitur. Ita autem verba, vnde argumentum ducemus, apud Africanum noſtrum fluunt: [a]) *Aut ſi omnem in totum deuotionem temporum, et dierum, et menſium, et annorum, eraſit Apoſtolus, cur Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur ſtationibus quartam et ſextam ſabbati dicamus? et ieiuniis Paraſceuen?* Quodſi verum eſſet, quod IACOBVS PAMELIVS contendit, [b]) Paraſceuen diem ſabbati hic, ſiue diem Saturni, denotare, tunc maxime perſpicuum foret, permultum inter ſtationem atque ieiunium intereſſe; quandoquidem ne iisdem quidem diebus vtrumque peragere fas putauerint veteres Chriſtiani. At enim vero, neque poſtulo, neque concedo, diem Saturni hoc in loco a Tertulliano notari. Eiusmodi enim ritus in ea, vnde hic locus decerptus eſt, diſputatione proferre neceſſum habuit Montaniſta, qui communi omnium Chriſtianorum conſenſu probarentur. Sabbati vero ieiunium nonne ab inſigni Eccle-

ſiae

a) TERTVLLIANVS *de Ieiuniis c. XIV.*

b) IAC. PAMELIVS *Adnot. ad librum de ieiuniis. n. 87.* Noue hic auctor ſabbatum Paraſceuen nuncupat, vtpote quae ſit Paraſceue Dominicae, ſicuti olim feria ſexta apud Iudaeos fuit Paraſceue ante ſabbatum.

ſiae portione, Graecam innuo Eccleſiam, ſemper aut neglectum, aut vehementer etiam improbatum, legimus? Innuit omnino Montani vindex diem Veneris; nec tamen diſcrimen ieiunii, et ſtationis non luculenter demonſtrat. Ecce enim! ſi quae cerimonia die ſexto pariter, atque quarto, rite peragatur, alia vero ſexta ſaltem die recte celebretur; nonne, etſi neutrius formam calleas, id tamen perſpectum habes, alteram ab altera maxime diſcrepare? Vna enim eademque actio non poteſt in eandem diem conuenire, et non conuenire. Quare, cum, Tertulliano grauiſſimo teſte, veteres Chriſtiani diem ſextum ieiuniis dicauerint, id, quod actionis ſacrae, quarta, et ſexta, hebdomadis die, ſtationum nomine, peragebant, a ieiunio omnino differre debuit.

§. III.

Vereor, vt ab hoc ictu cauſſam ſuam cadere putent, qui pro antiquitate ieiuniorum, omni, qua poſſunt, militant vi ingenii. Non patiuntur teſtimonium hoc, vetuſtate venerandum, breui ſibi argumentatione eripi. Vident tamen Tertullianum, ieiunia, et ſtationes in diuerſis hebdomadis diebus collocare, eoque rerum ipſarum, quae temporibus diſtinguuntur, diſcrimen, nec leue, monſtrari negare nequeunt. Tam graui ratione conſtricti, duplex ieiunium confin-

confingunt, alterum totius Ecclesiae vsu probatum, et omnibus commune, idque *stationis* vocabulo notari, alterum vero liberum, et cuiusque arbtrio relictum, idque vulgari *ieiunii* voce innui a Tertulliano. [c] Nolo iam, quid veri, falsique, tota hac in partitione lateat, disquirere. Id vnum, quod veritati defendendae sufficit, probatum dabo, Tertullianum hoc in loco, de ieiuniis statis, et a cuncto Christianorum coetu obseruandis, nec cogitasse, nec verba fecisse. Disputat enim contra Montani hostes, quos, voce probri plena, Psychicos appellat: disputat inquam, et ex communibus quidem omnium Christianorum ritibus, e Paschatis religione, e laetitia quinquaginta dierum a Paschate vsque ad Pentecosten, similibusque, quae nec improbabat, tum temporis, quispiam, nec negligebat. Ieiunia vero quartae sextaeque diei, et stata illa quidem, omnibusque communia, quam ignorauerit sanior Ecclesiae pars, et quae modo sincera, et ab haeresi pura, erat, ipse [d] profitetur Tertullianus, cum sententiam *gloriosissimae multitudinis Psychicorum* profert: [e] *Certe*,

B inquit,

[c] PAMELIVS *l.c.n.86.* Stationes appellat quartae, et sextae, feriae ieiunia, quod statuta essent illius diebus ieiunia, non item die Parasceues.

[d] TERTVLLIANVS *de Ieiun. c. XI.*

[e] ID. *Lib. cit. c. II.*

inquit, *in Euangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus eſt ſponſus, et hos eſſe iam ſolos legitimos ieiuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus, et Propheticis, vetuſtatibus.... Itaque de caetero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouae diſciplinae, pro temporibus, et cauſſis, vniuscuiusque.* Non poteſt igitur Tertullianus, cum a ſtationibus argumentum ducit, per ſtationes certa, ac ſtata, denotare ieiunia, quippe quae plane improbant ii, contra quos diſputationem inſtituit. Sed eſto, ieiunia, vniuerſo Chriſtianorum coetui communia, Tertulliani aetatem non ignoraſſe: do etiam illud, ieiuniis iſtis nonnunquam ſtationis nomen indidiſſe veteres: in hunc tamen, quem iam vindico, Tertulliani locum, eam vocis ſignificationem non cadere, nihilo ſecius contendo. Quodſi enim dies quartus, et ſextus, publico ieiunio, tum temporis, lege Eccleſiaſtica fuit dicatus, non potuit idem ſextus dies, ſeu Paraſceue, priuatae cuiusque pietati, quae in ieiuniis ponitur, deſtinari; niſi forte duplicis ieiunii taedia vno die deuorari poſſe putes. Quod vti ſibi aperte repugnat, ita non minus ſtationum nomine patet aliud pietatis genus, a ieiuniis diuerſum, iſto quidem in loco, a Tertulliano, deſignari.

§. IV.

§. IV.

Non hoc autem ſolum in loco, quem, vtpote claſſicum in hac diſputatione, reliquis anteponendum duxi, ſed et alibi, ac ſaepius, perſpicue ieiunia a ſtationibus, ac diligenter, Tertullianus diſtinguit. I. Ecquod enim magis manifeſtum rerum diſcrimen poni poſſe putas, quam ſiquis, de ſingulis, quas diſtinguere cupit, rebus, non ſolum diuerſis capitibus, ſed, etiam diuerſo argumentorum genere vtens, diſſerat? Ita vero librum Tertulliani *de Ieiuniis* diuiſum deprehendo, vt ad tria momenta tota contra Montani hoſtes diſputatio referatur, quorum vnum de ieiuniis, alterum de xerophagia, tertium, de ſtationibus agat. Quam partitionem ipſe partim in exordio ſui libri [f] ponit: ***Arguunt nos***, inquit, ***quod ieiunia propria cuſtodiamus, quod ſtationes plerumque in veſperam producamus, quod etiam xerophagias obſeruemus:*** partim in media diſputatione repetit: [g] ***Propterea per ſingulas direximus ſpecies, ieiunationum, xerophagiarum, ſtationum.*** Plus ſatis hic diuerſa ieiuniorum, et ſtationum, natura omnibus luceret, niſi quibusdam tenebras offunderet falſa iſta de ieiuniis ſtatis opinio: cuius erroris

[f] TERTVLLIANVS *Lib. de Ieiun. c. I.*

[g] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. XI.*

roris neruos, etsi (§. III.) iam succisos putem, tamen ne vi nostrae demonstrationis denuo obstet, hic sigillatim elaborandum existimo. Tertullianus in prima libri sui parte ita de ieiuniis disserit, vt eorum frequentiam ex vtilitatis magnitudine, et varietate, demonstret. Tertia vero libri pars, stationes Montanisticas vindicans, in duo scinditur membra, quorum alterum praescriptam multitudinem tuetur, alterum vero longiorem moram. Ac de iusto stationum finiendarum momento acturus, [h] prolixam, de Petri oratione circa horam tertiam peracta, instituit disquisitionem, vt satis pateat, orthodoxos nimiam stationum moram impugnantes, non de ieiuniis nimium protractis, sed de hypocritica precum mora, Montanistas accusasse. Quo ipso Stationum a ieiuniis diuersa indoles denuo elucet.

Coniungere II. cum argumento, a totius libri distributione petito, placet insignem eius particulam, discrimen stationum et ieiuniorum pariter egregie illustrantem. De conciliis rem, haud multis proditam testimoniis, scitu tamen dignissimam, memorat. [i] *Aguntur praecepta, per Graecias illas, certis*

[h] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. X.*

[i] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. XIII.*

tis in locis Concilia ex vniuerſis Eccleſiis, per quae et altiora quaeque in commune tractantur, et ipſa repraeſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur. - - Conuentus autem illi, ſtationibus prius et ieiunationibus operati, dolere cum dolentibus, et ita demum congaudere gaudentibus norunt. Modum his verbis exponit Septimius, quo ad tractanda communia Eccleſiarum, ni fallor, Montaniſticarum negotia animum patres in concilium coacti praeparare conſueuerint. Stationibus, inquit, et ieiunationibus, operati ſunt. Nonne vero, qui ad negotium rite gerendum ſe componit, huiusmodi ſuſcipere ſolet actiones, quas, niſi negotii iſtius inſtarent ſolemnia, ſuſcepturus non eſſet? Non potuit igitur Tertullianus ad inſtaurandi concilii ceremonias referre ieiunia ſtata, a cunctis quippe praeſulibus, etſi inter ſuos, non in Concilio, verſarentur, nihilominus, magna cum religione, obſeruanda. Quare ſtationes, nec ieiunia ſtata hoc loco notant, niſi magnae imprudentiae accuſare Tertullianum velis: nec ieiunia libera, aut negotii imminentis cauſſa inſtituta, quippe quae ſimplici ieiunationum adiecta voce exprimuntur.

§. V.

Si rerum indoles, dum oppoſitis, et contrariis, comparantur, eximie, quod nemo dubi-

tat, illuſtratur, noua nobis monſtratur ratio, probandi id, quod aſſeruimus; Stationes penitus a ieiuniis differre. Video enim alias ſemper res a Tertulliano ſtationibus, alias ieiuniis, comparari, vel etiam, tanquam contrariis, committi. I. Vbi religionis impedimenta recenſet, quae mulieres idololatris matrimonii vinculo iunctas premant, nec ieiunia nec ſtationes rite obiri, non ſine calamiſtris, monet. [k] *Domino certe*, inquit, *non poteſt pro diſciplina ſatisfacere, habens in latere diaboli ſeruum, procuratorem domini ſui ad impedienda fidelium ſtudia, et officia. Vt, ſi* STATIO *facienda eſt, maritus de die condicat ad* BALNEAS; *ſi* IEIVNIA *obſeruanda ſint, maritus eadem die* CONVIVIVM *exerceat*; *ſi procedendum erit, nunquam magis familiae occupatio adueniat.* Vides hic ieiunia, et ſtationes, diuerſis plane rebus, illa prandio, has balneis oppoſita: Vnde diuerſam ieiuniorum et ſtationum indolem rectiſſime, niſi me omnia fallunt, colligimus. Argumenti certe iam olim inſpexit vim GABRIEL ALBASPINAEVS, verbis ante adductis hanc adnotationem ſubiungens: [l] *De Statione alius erit*

[k] TERTVLLIANVS *Lib. II. ad vxorem c. IV.*

[l] GABRIEL ALBASPINAEVS *not. ad Tertullianum Lib. de ieiuniis, ad verba: ſi ſtatio facienda etc.*

erit dicendi locus. ſatis interim erit, ſi ex hoc loco moneamus, ieiunium duntaxat eam non eſſe, cum ire ad balneas ei opponatur. II. Iam etiam diuerſa ieiuniorum, et ſtationum, effecta memorat Septimius, dum Pſychicis haec, multa cum bile, exprobrat: [m] *Iam enim et in iſta ſpecie ditati, ſaturatique, regnatis, non* DELICTA *incuſantes, quae* IEIVNIIS ELIMENTVR; *nec reuelationum ſcientia indigentes, qaue xerophagiis extorqueantur; nec* BELLA PROPRIA *metuentes, quae* STATIONIBVS DISCVTIANTVR. Vides hic peccatorum expiationem de ieiuniis, belli, intra pectus flagrantis, exſtinctionem, de ſtationibus, vel tanquam effecta, vel tanquam praemia, praedicari; an recte? nunc non diſputo. In eo tamen ſummam meretur Tertullianus fidem, cum ieiuniis et ſtationibus, diuerſis nimirum rebus, diuerſas addicit poteſtates, vel veras, ſi autoritatem iſtius ſequamur, vel confictas, aut ambiguas, ſi rem potius, quam autorem, ſpectemus. III. Comparo cum his, quae ſola demonſtrationi, quam paramus, ſufficerent, teſtimonium aliud, quod ſi omitteremus, formidaſſe potius, quam neglexiſſe, diſſentientibus forte videremur. *Propterea,* [n] inquit,

[m] TERTVLLIANVS *de Ieiuniis c. XII.*

[n] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. XI.*

quit, *per ſingulas direximus ſpecies*, IEIVNATIONVM, *xerophagiarum*, STATIONVM: *vt, dum recenſemus, ſecundum vtriusque teſtamenti paraturam, quantum proficiant* RECVSATI, *vel reciſi, vel* RETARDATI *pabuli officia, eos retundamus, qui haec, velut vacantia, infirmant.* En, inqies, arctam ieiuniorum, et ſtationum, affinitatem, ac profecto magnam, ſimilitudinem! Ieiuniis recuſatum pabulum, ſtationibus retardatum, adſcribit Tertullianus. Bona, quaeſo, verba! Diſcrimen poni in hoc teſtimonio, negare non potes; id vero tu exiguum arbitraris, ego maximum, et certe tantum, vt ſtatio ieiunium dici nequeat; id quod, cum infra vberius declarandum ſit, hic verbo tantiſper indicandum putaui.

§. VI.

Et Tertulliani quidem teſtimonia, quae ad ieiuniorum ſtationumque non quodammodo ſimilem, ſed eandem prorſus, naturam comprobandam excitari ſolent, ab iſta non ſolum ſuſpicione liberauimus, ſed etiam, haud inuita, vt opinor, ad ſtabiliendum iſtarum ceremoniarum diſcrimen traduximus. Eandem olim iam viam ingreſſus eſt DIONYSIVS PETAVIVS, [o] nec non IOANNES DAL-

[o] DIONYSIVS PETAVIVS *in Epiph. p. 356. 358.*

DALLAEVS [p]. Quorum virorum argumenta non ſolum repetenda, ſed etiam latius diducenda, nouisque rationibus fulcienda duxi, cum videam, re a tantis viris dudum, vt videri poſſet, confecta, nihilominus, Antiquitatum Eccleſiaſticarum promum condum, IOSEPHVM BINGHAMIVM, non ſolum profligatam a Dallaeo ieiuniorum, quartae ſextaeque diei, antiquitatem aſſerere, [q] ſed etiam locum Tertulliani, ante (§. II.) a nobis vindicatum, pro teſtimonio, excitare: [r] De quo, num Dallaei, Petauiique, rationes inſpicere neglexerit, an inſpectas contemſerit, nihil certi habeo; id vero tam praeclari ſcriptoris exemplo edoctus ſcio, nullam poſſe operam, in demonſtrando ieiuniorum, ſtationumque, diſcrimine, nimiam collocari. Hoc animo, cum Tertulliano, alterum coniungo, veneranda antiquitate non minus conſpicuum, ſcriptorem, VICTORINVM PETAVIONENSEM, cuius libellus de *Fabrica mundi* [f], vti apud CAVEVM [t] legitur, haec habet verba: *Hic*

[p] IOANNES DALLAEVS *de ieiuniis et quadrageſima Lib. IV. c. 5. p. 709.*

[q] IOSEPHVS BINGHAMIVS *Origin. Lib. XXI. c. III.*

[r] IOSEPHVS BINGHAMIVS *Lib. cit. Tom. IX. p. 255.*

[f] VICTORINVS *de Fabrica mundi.*

[t] GVIL. CAVE. *Hiſt. Lit. ſcript. Eccleſ. Sec. III. Victorinus.*

Hic ſextus dies paraſceue appellatur. --- Hoc quoque die ob paſſionem Domini Ieſu Chriſti aut ſtationem Deo, aut ieiunium, facimus. Quis hic non videat, duplex pietatis officium, ſtationis ieiuniique vocabulis, indicari, non vero vnum, idemque, diuerſis ſaltem vocibus compellari? Namque, ſi dies ſextus aut ſtatione, aut ieiunio celebratur, perſpicuum eſt, et ſtationem ſine ieiunio, et ieiunium ſine ſtatione eſſe poſſe, ita, vt huius hebdomadis die ſexto ſtatione, eodemque alterius hebdomadis die, ieiunio pietatis tuae documentum dare queas.

§. VII.

Nondum nos poenitet cautionis, quam, in conſtituenda ſtationis notione, a principio ſtatim huius ſcriptionis, adhibuimus, temporis notam poſitae a nobis regulae adiicientes; Qui enim, nullo ſeculorum temporumque conſtituto diſcrimine, a ſtationibus ieiunia, re non minus, quam nomine, diſtincta fuiſſe contendat, hunc vereor, vt ſe ſuamque, contra grauiſſimas autoritates, tueri poſſit ſententiam. Etenim quemadmodum Tertullianus, et Victorinus, ſeculi nempe tertii ſcriptores, ieiunia a ſtationibus ſatis aperte diſtinguunt, niſi quod iſte, victoriae obtinendae nimis ſtudioſus, opera data, quae diſtinxerat, ipſe nonnunquam confundit, ita contra ſeculi quarti, vel hoc etiam aeuo recen-

recentiores, ſcriptores, eum in modum de his ceremoniis loquuntur, vt diſcrimen non ſolum negaſſe, ſed etiam, quod olim fuit, ignoraſſe, videantur. Audiamus I. AMBROSIVM [u]: *Stationes*, inquit, *vocantur ieiunia, quod ſtantes et commorantes in eis, inimicos inſidiantes, repellimus.* Id his in verbis video, ieiunia tum temporis ſtationum nomine, veniſſe; Sed ratio tam obſcura redditur, vt errorem aperte loquatur. Quia ſcilicet in ieiuniis ſtamus, h. e. perſeueramus, ideo ieiunium ſtatio appellanda eſt. Ita vero omnia negotia, quae moram longiorem deſiderent, ſtationes vocandae forent. Ex hiſtoria ſuperioris aeui, non vero ex Etymologia, vocis, ſtationum nomen, deriuare debuiſſet Ambroſius. Perinde II. non parum quidem ambiguus, nec tamen ieiuniorum ſtationumque diſcrimini minus aduerſus, eſt iſte libri, qui ſub HERMAE PASTORIS nomine circumfertur, locus: [w] *Cum ieiunarem*, inquit, *et ſederem in monte quodam, et gratias agerem Deo pro omnibus, quae fecerat mecum, video Paſtorem illum ſedentem iuxta me, ac dicentem mihi, quid tam mane huc veniſti. Reſpondi; quoniam ſtationem habeo. Quid eſt, inquit, ſtatio? Et di-*

 xi:

[u] AMBROSIVS *Serm. 25.*
[w] HERMAE *Paſtor. Lib. III. c. 5.*

xi: ieiunium. Mihi quidem ab istorum testimoniorum autoritate, quantacunque illa sit, nihil metuendum esse scio, quippe qui quarti, quod Ambrosius illustrauit, seculi stationes, nondum attingo, easque, mea si requiratur sententia, a ieiuniis parum, vel nihil, differre, lubens concedo. Hermae vero antiquitatem nemo mihi obiiciat, nisi pro istis, quas eo in libro passim lego, insulsis fabulis, verum prisci Hermae Pastorem nobis ante restituerit. Ex hoc potius libri istius loco, autoris aetatem quodammodo coniici posse arbitror, eo nempe seculo scribentis, quo inclinata iam stationum ratio, et cum ieiuniis haud leuiter permixta, esset. Verumtamen hoc ipso in testimonio aliqua discriminis indicia deprehendere mihi videor. Etenim, si nihil stationes, personati Hermae nostri aetate, aliud denotabant, quam ieiunium, reddas quaeso rationem, cur iste, ieiunio operam dans, in montem summo mane secesserit? Num is ieiunantium mos vnquam fuit, vt ad galli cantum surrexerint? vt solitudinem, per deuia errantes, quaesiuerint? Hermas tamen matutinae processionis caussam, in statione, h. e. vt tu vis, in ieiunio ponit. Cur praeterea in sua narratione ista vtitur ambage, vt prius stationem ponat, deinde ieiunii vocem, quaestione demum veluti extortam, adiiciat? Melius

lius haec et cohaerere, et fluere, videntur, ſi diuerſum vtique pietatis officium ſtationis, et ieiunii, vocibus indicari ponas, quod tamen vtrumque vno eodemque die, pro iſtius ſeculi more, ab Herma peractum fingitur. Cur igitur, in montem, rorante Ioue, ſeceſſerit, ſtationis ceremonia in cauſſa fuit; cuius nomen cum nonnulli non ſatis intellecturi viderentur, ſacram diei iſtius religionem, ab altera ſua, vulgo notiori, parte, ieiunio nempe, denominatam, vniuerſis perſpicuam reddidit lectioribus.

§. VIII.

Alius nunc, atque nouus, nobis imminet labor, eam oppugnandi ſententiam, quae ſtationes per publica quartae ſextaeque diei, cuiusque hebdomadis, ſacra interpretatur. Qui enim ſibi antiquitatem iſtorum ſacrorum demonſtrandam ſumunt, ea plerumque ſolent prae primis excitare teſtimonia, quae ſtationibus eosdem dies, veluti proprios, et conſecratos, vindicant. Sed cum aliud ſit quaerere, num Chriſtiani olim, Mercurii, Venerisque die in vnum conuenerint, aliud vero, num iſtas conciones ſuas Stationum nomine compellauerint, et conſentire, in hac antiquitatum parte, cum Tertulliani interpretibus, et diſſentire ab iisdem nobis licebit. Nempe, quemadmodum die Mercurii, et Veneris, ſacra publice facta am-

babus largior manibus, ita e contrario II. *concionibus iſtis ſtationum nomen, Tertulliani aetate, impoſitum eſſe, conſtanter nego.* Sunt permulta Septimii dicta, ſtationum vocem continentia, quae, vt ad ſacros quartae ſextaeque diei conuentus pertineant, ne minimam quidem nobis ſuſpicionem praebent. Ergo ea tantum vindicabimus teſtimonia, vnde ſuam falſa vocis interpretatio infauſtam traxit originem. Ex hoc genere ſunt iſta, iam iam ante excitata verba: [x] *Aut ſi omnem in totum deuotionem temporum, et dierum, et menſium, et annorum eraſit Apoſtolus, cur Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exaltatione decurrimus? cur ſtationibus quartam et ſextam ſabbati dicamus?* Subſtituas, quaeſo, ſtationis voci has, vt volunt, aequipollentes: *quartae ſextaeque feriae conuentus,* et ſtatim, quam iſta verba ineptam fundant ſententiam, tuopte experieris ſenſu. Quodſi vero dicas, ſtationes conuentus ſaltem Chriſtianorum, ſeu ſacra publica denotare; probabis quidem id, de quo nulla inter nos eſt diſceptatio, ad oratoria diebus iſtis confluxiſſe Chriſtianos, ſed, ſacra publica ſtationum nomine inſignita quondam fuiſſe, hoc teſtimonio non conficies.

[x] TERTVLLIANVS *de Ieiuniis c. XIV.*

ficies. Quare miſſum hunc locum iam facio, mox denuo inſpiciendum, et ad alium nunc, alio quidem ex libro, eiusdem tamen ſcriptoris, me conuerto. Stultam hominum, nec paucorum, opinionem confutaturus ſic fatur.[y] *Similiter*, inquit, *de ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quod ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini.* Quem in locum cum prolixa exſtet IOSEPHI BINGHAMI commentatio, non vno modo noſtris aſſertionibus aduerſa, tantae auctoritati continua reſponſione obuiam eundum putamus.

I. *Primum* quo a ſummo diſſentiendum mihi eſt viro, illa eſt ſententia, qua conuentus publicos ſtationum nomine indicari putat.[z] Huius quippe rei nullum his in Septimii verbis deprehendo indicium. Id ſolum video, eo die, quo ſtationes

[y] TERTVLLIANVS *de orat. c. XIV.*

[z] IOSEPHI BINGHAMII ORIGINES *Lib. XIII. c. IX. §. II. Tom. V. p. 282.* Certe non multo poſt aetatem Iuſtini Martyris Eccleſia morem tenuit ſolemniter coeundi ad diuinum cultum feria quarta et ſexta hebdomadis, qui dies communiter vocabantur *Stationarii*, quod conuentus ſacros hiſce diebus longius, ad horam videlicet tertiam pomeridianam ducebant: Vnde etiam dicebantur ieiunia, in oppoſitione ieiunii quadrageſimalis, quod ad veſperam vsque ſemper durabat, et ieiunia quartae et ſextae feriae.

tiones celebrabantur, conuentus etiam publicos esse factos, sed propter illos conuentus publicos, diem istum stationarium, aut stationis dici, neque aperte indicat, nec vlla ratione subindicat, Tertullianus. Imo nullo pacto fieri potest, vt stationes hoc in loco notent conciones quartae sextaeque feriae. Dubitabant nonnulli, an fas esset ad sacram coenam accedere his diebus, ob ieiunium, nempe, publicum, eodem die obseruandum, aut quaecunque demum alia istos dubitandi ratio suspensos tenuit: At enim vero, qui omnino eiusmodi scrupulus nasci in Christianorum animis potuit? cum viderent, sacram coenam, ceu cultus huius partem, in omnibus Ecclesiis proponi, et ab ipsis praesulibus, e quorum exemplis fere magis, quam praeceptis, suam religionem homines effingunt, vsurpari. Statio eiusmodi actio esse debuit, quae non ad omnes eodem die, sed ad quosdam saltem, spectaret, quorum plerique, intempestiuo moti scrupulo, epuli S. vsum eo quidem die ad se non pertinere existimauerint. Veluti si haec memoriae prodidisset Tertullianus: Nuptiarum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quod nuptiae differendae sunt, accepto corpore Domini: Ex hoc quidem monumento recte colligeres, iis diebus, quibus nuptias celebrauerint Christiani, conuentus quoque

que publicos inſtitui ſueuiſſe. Sed non recte inferres: eſſe quosdam ſic dictos nuptiarum dies, illosque ſic dici, aut vulgarium dierum turba eximi, ob conuentus publicos, qui iſtis diebus fierent. Sic omnino in diebus, quo ſtationes fiebant, ſacra publica adminiſtrabantur, ſed ſacrorum tamen publicorum procuratio nihil cum ſtatione commercii habuit.

II. *Alterum*, quod ex Binghamii doctrina ſedulo, ne noſtris praeceptis obſtet, cauendum putamus, ad ieiunii notionem pertinet, quam ſtationis voci in iſto Tertulliani loco coniungendam eſſe docet.[a] *Stationem ſoluendam eſſe*, nihil aliud ſignificare putat, quam ieiunium ſolui, hoc

[a] IOSEPHVS BINGHAMIVS *l. c.* Eſſe quosdam dicit, (Tertullianus) qui ſacram Euchariſtiam his diebus recuſent recipere, quia ſcrupuloſius vereantur, ne edendo et bibendo panem et vinum in ſacra Euchariſtia ieiunium ſoluant, adeoque precationibus in ceremonia Euchariſtiae fundi ſolitis malle ſe ſubducere, quam ſoluere ieiunium, quemadmodum Euchariſtia fieri opinentur. Quos ita errore expedit Tertullianus, dicens ipſos euchariſtiam iſtiusmodi diebus recipiendo deuotum Deo obſequium non reſoluere, ſed magis Deo obligare: ſolemniorem fore eorum ſtationem, ſi et ad aram Dei ſteterint, poſſe eos recipere corpus Domini et ieiunium ſeruare, atque ita vtrumque ſaluum futurum, dum participent ſacrificium, et exſequantur ſuum officium.

hoc eſt finiri. Mihi vero nec pro *ſtatione*, *ieiunium*, nec pro *ſoluendum eſſe*, illud *ſolui* ſatis recte ſurrogatum videtur. Multum enim intereſt inter ſoluendum eſſe, et ſolui. Quippe ieiunium, cum cibum capias, ſoluitur quidem, ſed non ſoluendum eſt. Tertullianus autem ponit, ſtationem ſoluendam eſſe, ad denotandam haud dubie actionem liberam, quae accepto corpore Domini, et longius protrahi, et finiri poſſit, id quod in ieiunium nulla ratione conuenit. Quod ſi id homines verebantur, ne accepto illo ſanctiori cibo, ſtationi, hoc eſt, vt Binghamius vult, ieiunio, ſua ratio ſibi non conſtaret, ſane non id in quaeſtione erat, an ſtatio ſoluenda eſſet, accepto corpore Domini, ſed an ſolueretur? Igitur, cum Tertullianus non dicat ſtationem, quorundam opinione hominum, epulo ſacro ſolui, ſed poſt epulum ſoluendam eſſe, alia omnino ſtationis voci ſubeſſe debet notio, quam ieiunio. Parum abeſt, quin dicam, magnam non ſolum, ſed etiam multam, et variam, verbis Tertulliani vim hanc interpretationem inferre: primum, cum eidem voci, eodem in loco, vix tribus interiectis verbis, diuerſae plane tribuuntur ſignificationes: deinde, cum *ſtatio* in *ieiunium*, denique cum *ſoluendam eſſe*, in *ſolui*, nulla vertitur vrgente neceſſitate. Et quid tandem iſtis verbis fiet: *Nonne tua ſtatio ſolennior erit, cum*

etiam

etiam ad aram Dei steteris? Num et hic, expulsis Tertulliani verbis, hanc ipsi tribuemus sententiam? *Nonne tuum ieiunium solennius erit, cum etiam ad aram Dei ieiunaueris!?* Certe interpretationem, quam nemo forte probabit, nec leuioribus, quod indignum, nec exquisitis, quod superuacaneum foret, rationibus impugnandam censeo. Haec, paulo iam ante commemoranda, data opera, ne de vno saepius testimonio nobis differendum esset, in hunc locum seruauimus, continua disputatione ab vtraque sententia illum vindicaturi, ab illa partim, quae stationes in ieiunia, partim ab altera, quae in quartae sextaeque feriae publicos conuentus vertit.

§. IX.

Vidit istas, iam olim, magna ex parte, rationes, quibus Tertulliani locum vindicauimus, antiquitatum scientissimus GABRIEL ALBASPINAEVS, ideoque Patris huius lectores, ne ieiunii notionem loco ante excitato admisceant, admonuit sedulo.[b] Idem tamen, vel honoris caussa, nomi-

[b] GABRIEL ALBASPINAEVS *Annot. ad Libri, de Oratione, verba: accepto corpore Domini:* Si statio sumitur pro ieiunio, sensus talis est; nonnulli putant non debere interesse precibus sacrificiorum, quia statim rumpendum est ieiunium percepto corpore Domini. Sed quid vetabat interesse precibus sacrificii, rupto iam, aut non

nominandus Antiquitatum antiſtes, iis ſe noſtris adiungit aduerſariis, qui ſtationes per feriae quartae ſextaeque cultum publicum, tum alibi, tum iſto loco, explicandas putant, [c] eoque nomine, procul tamen contemtu, vel ira, oppugnandus a nobis erit. Et quas ſuae quidem ſententiae afferat rationes, nullas video, praeter eam, quae, ſi obtineret, multo eſſet grauiſſima, totumque conficeret vna negotium. *In noſtra*, inquit, [d] *explicatione nihil perplexum, nihil implicatum.* Vtinam vero nullis tenebris, nullis nodis, laboraret, ſpecie veritatis, quod negari nequit, commendabilis haec ſententia. Ipſe enim, ad ſoluendum haud facilem, nodum nectit, non perſpicuum eſſe monens, [e] cur crederent

non rumpendo ieiunio? Rurſus ſi ea tum autori mens fuiſſet, dixiſſetne ſoluendum eſſe ieiunium, accepto corpore domini? quis enim diceret ſoluendum eſſe ieiunium ſumtis cibis? Enimuero *ſoluenda* denotat aliquid agendum poſt ſumtum corpus Domini, non quod eodem tempore fieret, et eo inſtanti, quo corpus Domini ſumeretur, cuiusmodi eſſet ieiunii ſolutio.

[c] GABRIEL ALBASPINAEVS *Lib. cit.* ad verba: *De Stationum diebus.* Nunc ſatis erit, ſi ſtationem pro mora, quam in Eccleſia diebus Veneris et Mercurii ieiunantes ac orantes ducerent, accipiendam eſſe ſcias, atque totum hunc locum ita concipiendum.

[d] IDEM *Lib. cit.* ad verba: *accepto Corpore Domini.*

[e] IDEM *l. c.* Difficile porro eſt diuinare, cur ſuperſtitioſi cre-

derent exeundum esse ex ecclesia, et soluendas stationes, accepto corpore Domini. Inuenit equidem solutionem hypothesi suae accommodatam, ac veri aliquid continentem, dum istos quartae sextaeque feriae conuentus afflictionis, et moeroris, plenos fuisse sumit, eiusque rei gratia Tertullianum excitat, *pressuram* alicubi [f] stationibus tribuentem. At enim vero 1) illa pressura, quam stationibus adhaerere monet Tertullianus, non satis commode ad conuentus publicos dictorum dierum trahitur, quorum in libro *de ieiuniis* nunquam mentio iniecta est. 2) Sit vero, homines diuinae laetitiae, tristitiaeque, non veros aestimatores, in eo errore haesisse, vt lugubrem illam concio-

 nem

crederent, exeundum esse ex Ecclesiis, et soluendas stationes accepto corpore Domini, nisi forte, quia statio luctus erat Christianorum, et actio plena afflictionis, et moeroris, quomodo ipse appellat *pressuram*, quam illis aequum non videbatur continuare sumto corpore Domini nostri, quod esset nostrae salutis pignus, nostrae resurrectionis fiducia, et omnis Christianorum laetitiae quasi cumulus, quodque indignum censeretur, post susceptum Deum, et creatorem, afflictos esse, et videri.

[f] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. X.* Itaque in eam vsque horam celebranda pressura est, in qua a sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium, vt tunc et nos reuertamur ad iucunditatem, cum et mundus recepit claritatem.

nem ſtatim poſt acceptum corpus Domini, ſeu confecta ſacrae coenae religione, ſoluendam eſſe, male crederent, quare vero feſtinabant illi, et ne quidem id, quod ipſi iuſtum putabant, exeundi tempus expectabant? Neminem tam inſanum fingere licet, qui, cum poſt horam e circulo amicorum diſcedendum ſibi putet, ideo ſtatim abeat. Quare nec in homines, amica Tertulliani, et acuta, caſtigatione non indignos, cadere potuit, vt, quod ſtationes poſt S. coenae diuinam ceremoniam finiendas putarent, ideo ipſius huius epuli vſu ſe interdictos crediderint. Hic, ni fallor, manifeſto tenemus indicio proditam interpretationis falſitatem, quae ne poſt hac e commentatorum libris ad lectorem animos penetret, meliori data interpretatione, quanto poſſumus, ſtudio cauebimus.

§. X.

Nec iſta, quam proſcriptam ex antiquitatum libris cupimus, ſtationis notio Tertulliani ſolum dicta, ne non ſatis intelligerentur, obſcurauit, ſed in hiſtoria etiam ſacrorum publicorum veteris Eccleſiae miras excitauit turbas. Id equidem ex hoc Tertulliani loco, non autem e caeteris, vbi ſtationum rationes explicat, recte colligitur, Antiſtites diebus Veneris, et Mercurii, publica olim ſacra procuraſſe. Cum enim

enim hi dies ſtationibus dicati fuerint, vt ex (§. II.) conſtat, iisdemque ſtationum diebus ſacram eſſe adminiſtratam coenam legamus; (§. VIII.) patet, omnino vnoquoque Mercurii Venerisque die Chriſtianos ad oratoria non ſolum confluxiſſe, ſed totum etiam ſacrorum publicorum ordinem peregiſſe. Sed dum, ipſa ſtationis voce, ſacra haec denotari ſumitur, eaque, quae ad ſtationes pertinet, religio ad cultum publicum ſextae, quartaeque, feriae intempeſtiue transfertur, vera antiqui cultus ratio partim obſcurata eſt, partim corrupta. I. enim quotidiani Chriſtianorum conuentus, minus his elucent, qui olim die Veneris, Mercuriique, ob ſingularem certe horum dierum, quam putauerint, religionem, conuentus publicos factos autumant. Veroſimile tamen eſt omnibus olim oratoria diebus patuiſſe, et Presbyteros ſacris procurandis, ſtatis horis, praeſto fuiſſe, vt ſcilicet Chriſtiani gentilibus permixti, eorumque imperio ſubiecti, quocunque die ipſis vacaret, de ſacrorum publicorum vſu participandi facultatem haberent. Sed huic rei, tanquam noſtrae commentationi parum adiumenti allaturae, non longius immoramur. Ipſam vero II. iſtorum dierum Liturgiam, quam a reliquorum, ſi a primo, qui ſolis eſt, receſſeris, dierum ritu nihil differre puto, penitus e ſtatio-

num

num ritibus informari ab antiquitatum doctoribus video. *Primo* commemorant, ad horam vsque tertiam pomeridianam haec ſacra continuari ſueuiſſe. Id quod ex eo redarguo, quod partim nullo nitatur argumento, niſi tali, quod a permixto ſtationum, et ſacrorum quartae ſextaeque feriae, ritu deſumatur; partim etiam, quod tam longa Chriſtianorum congregatio, nec temporum conditionibus, nec hominum iſtius ſeculi opinionibus, vix denique etiam viribus conueniat. Nam 1) cum ſummam, nec falſo, ſolis diei religionem tribuant veteres Chriſtiani, vero vix eſt ſimile, eosdem diei iſtius ſanctitati, aut aequare alium diem, aut, maiori alterius cuiusdam diei religione, detrahere etiam aliquid voluiſſe. 2) Quis ſibi perſuadeat, eos, qui raro ſine periculo, nunquam ſine inuidia, conuentus agere potuerunt, integros dies negotiis, quae partim res publica, partim res familiaris expoſcebat, ſubtraxiſſe, ſicque ſuos conuentus, tot calumniis iam infamatos, infiniti adhuc otii opprobrio oneraſſe? Addo 3) vix apparere, quae tam prolixae, aut qua varietate, ne taedium crearent, diſtinctae fuerint Liturgiae partes, vt longam integri prope diei moram conſumerent. Hoc vno commotum deprehendo Binghamium ſcrupulo, cui lectoribus eximendo ingenium, quo pollebat, ſuum,

nec

nec infeliciter applicuit; nisi quod ipsa nodi solutio a ritu, quem exstitisse vnquam nondum satis constat, desumta sit. Psalmorum enim quadraginta, quinquaginta, plurium, quam ponit, [g] recitatio, adiunctis praesertim alternis meditationibus, vtique non solum diei dodrantem, sed multo etiam longius temporis spatium, facile consumit; sed quis nobis hanc infinitam Psalmodiam, certo quodam testimonio, aut confirmauit hucusque, aut confirmare potis erit. Si quid enim huiusmodi, seculo quarto, et in vigiliis quidem, atque ab iis solum, quibus volupe erat, factitatum legimus, id neque ad Tertulliani tempora, neque ad ordinarios diei sextae quartaeque conuentus, nisi aliorum accedat

[g] IOSEPHVS BINGHAMIVS *l. c.* At vero cum his rebus omnibus tantum temporis teri non posset, quantum his stationibus impendi necessario oportebat, maxime probabile videtur, quod in duabus rebus specialioribus officium suum hisce diebus diutius duxerint, nimirum in Psalmodia sua ac priuatis precibus, et peccatorum suorum confessione. Psalmi, vti posthac videbimus, interdum ad indefinitum numerum augebantur, ad viginti, quadraginta, vel plures etiam, prout vigiliae cuiusdam, vel ieiunii, poscebat ratio, et inter vnumquemque Psalmum, meditandi, et ad priuatas preces suas se conferendi habebant libertatem. Atque ex his duabus exercitationibus, ita productis et repetitis, facile ad colligendum est, quomodo vel longissima statio impendi potuerit.

dat testimoniorum autoritas, trahi potest. *Alterum*, quod de vetustis quartae sextaeque feriae conuentibus, a recentioribus quibusdam scriptoribus relatum lego, ad tristitiam, et luctum, pertinet, qui in istorum dierum liturgia eluxerit. Qua de re nos ALBASPINAEVS commonefacit,[h] nec quisquam alius dubitabit, qui, quae stationibus tribuit Tertullianus, ad quartae sextaeque feriae sacra publica, nobis inuitis, refert. At eos, qui nobiscum ista, quae diuersissima sunt, distinguere didicerunt, ne istorum subscribant sententiae, nequaquam metuo. Aliae quippe erant conuentuum, qui istis agebantur diebus, caussae, aliae stationum, quas pro temporibus, et caussis suis, quisque, et proinde non singulis septimanis, sed rarius, Tertulliani aetate, faciebat.

§. XI.

Plures restant de stationibus eruditorum sententiae, quae, quod partim nullo temporis discrimine apposito, partim ad illustrandum Tertullianum, adeoque tanquam Patris huius aeuo

[h] GABRIEL ALBASPINAEVS *Annot. ad Libri de Oratione, verba: accepto corpore Domini:* Difficile porro est diuinare, cur superstitiosi crederent, exeundum esse ex Ecclesiis, et soluendas stationes, accepto corpore Domini, nisi forte, quia statio luctus erat Christianorum et actio plena afflictionis et moeroris.

aeuo conuenientes, proferuntur, non sunt a nobis, ne probari videantur, omnino praetereundae. Aduersus quas III. id asserimus, *stationes aetate Tertulliani non fuisse statos dies, quibus ad martyrum sepulchra conuentus, ad tertiam vsque pomeridianam duraturi indicerentur.* His omnia contraria docet NICOLAVS RIGALTIVS, cuius, quod instar omnium est, verba apponenda ducimus:[i] *Stationes, statos fuisse dies, quibus ad martyrum sepulchra conuentus indicerentur, atque ibi statim ab exortu solis, orationibus, hortamentis, sacrarum lectionum interpretationibus, vacantes, et ieiuni, post Eucharistiam et oscula conuentus et ieiunia soluerent; hae tunc temporis stationes, haec castrorum disciplina Christianorum.* Cuius sententiae, IOANNI DALLAEO [k] probatae, non solum ea probari pars nequit, qua stationes in conuentus publicos, et indictos, vertuntur, reclamante Tertulliano, qui pro cuiusque temporibus et caussis susceptas narrat, sed etiam illud suspectum, aut potius oppido falsum, est, ad martyrum sepulchra conuocatos, et congregatos, non-

E 2 nunquam

[i] NICOLAVS RIGALTIVS *Obseruat. ad Tertulliani Librum de Oratione pag. 155.*

[k] IOANNES DALLAEVS *de ieiuniis et Quadragesima Lib. IV. c. V.*

nunquam Chriſtianos eſſe aetate Tertulliani. Quo enim indicio, aut teſtimonio, id dubitationi, ſi quod, maxime obnoxium confirmabitur? in coemeteriis nonnunquam conueniſſe ea aetate Chriſtianos facile largior; ſed ad martyres conuocari, et in area, quae martyres non ſolum arena ſua, ſed quoscunque pie defunctos fouet, congregari, nimium, quam vt confundi erudito errore poſſint, mea, ſi quid valet, ſententia differunt.

§. XII.

IV. Multo autem longius, quam opinionum hactenus commemoratarum vlla, a vera antiquitate abhorret iſta ſententia, quae famigeratiſſimo antiquitatum doctori IOACHIMO HILDEBRANDO alicubi excidit. *Definitur*, inquit, [1] *ſtatio, ſolennis proceſſio Epiſcopi, cum clero, et plebe, per vrbem, vt certis locis conſtituerint et ſacra peregerint.* Ante Conſtantini M., breuiter vt reſpondeam, tempora, ſolemnes cleri plebisque proceſſiones, aut tentatas, aut, niſi grauiſſimis vindicatas poenis, transactas eſſe, quemadmodum ne quidem ſuſpicari licet, ita quam parum haec ſtationis interpretatio, ad vllum, alma Eccleſiae pace, antiquio-

[1] IOACHIMVS HILDEBRANDVS *de Sacris Publicis veteris Eccleſiae Cap. de Loco ſacrorum puborum p. 11.*

tiquiorem librum intelligendum transferri possit, nemo est, qui, nisi boni aliquando Homeri instar, dormitet, non perspicue intelligat. Ceterum, si nudam omni veritatis specie sententiam operose oppugnare opus esset, vno ista Tertulliani testimonio facile dissiparetur. Qui enim antiquitatem processionum defendere non erubescunt, in his ferme confidunt Septimii verbis: [m] *Vt, si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sint, maritus eodem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiae occupatio adueniat.* Non dubitarem, fateor, choros, si quos per plateas tunc temporis ducere Christiani consueuissent, ampla *procedendi* notione, hoc loco, comprehendere; ita vero a processionibus stationes, quibus et praemittuntur a Tertulliano, et opponuntur, nihilo secius toto genere discreparent.

§. XIII.

Melius inter se, quamuis sint omnino contrariae, quam cum Tertulliani cogitatis, consentiunt enarratae hactenus sententiae. Qui enim vel cum *Pamelio*, ieiunia, (§. II.) vel cum *Binghamo*, publica quartae sextaeque feriae sacra, (§. VIII.) vel collectas ad martyrum sepul-

 chra,

[m] TERTVLLIANVS *Lib. II. ad vxorem c. 10.*

chra, cum *Rigaltio*, (§. XI.) vel denique processiones cleri, plebisque, cum *Hildebrando*, (§. XII.) stationum voce indicari contendunt, in eo tamen omnes conspirant, commune quoddam omnium Christianorum officium, et certe aliquam, quaecunque illa sit, conuentuum publicorum speciem, stationum ritu, Tertullianum si sequamur, contineri. Sunt autem porro alii, qui, omissis singulis sacrorum publicorum speciebus, conuentus sacros in vniuersum, veram veterum stationum notionem absoluisse putant. Etiamsi igitur numerosas, suisque signis distinctas, eorum cohortes conspiciamus, qui stationes per conuentus publicos, seu quoscunque, seu certos, et peculiari liturgia notabiles, interpretantur; non possumus tamen, nimio forsitan, sincero tamen, verae antiquitatis retinendae studio, tantae doctorum multitudini aduersa constituere castra: quorum symbolum hoc esse volumus: V. *Stationes nullum omnino conuentum publicum, nec etiam commune quoddam omnium Christianorum pietatis officium, Tertulliani aetate, denotarunt.* Munimentis hanc veritatem, et plurimis, et firmis, mox circumdabimus; nunc et principem aduersae nobis gentis nosse, et quibus praesidiis nitatur, exploratum lectores habere volumus. Audiant igitur ONVPHRII PANVINII sententiam, his

verbis

verbis [n] inclusam : *Legimus*, inquit, *veteres Pontifices, inter matyrum tumulos*, STATIONES, *hoc est*, OMNES ACTVS PVBLICOS, *(publicas preces, Lectiones sacras, Conciones, Liturgias,) celebrare consueuisse.* Persuasissimum habeo, istud opinionis commentum, neque ex vno aliquo perspicuo testimonio, neque ex pluribus inter se collatis, enatum, sed exinde genitum esse, quod nullam actuum, aut officiorum publicorum, speciem, omnibus Patrum, Tertulliani maxime, locis intelligendis aptam deprehenderint ; quodque seculi quarti et sequentium, stationes, cum aeui Tertullianaei ritibus permiscuerint. Igitur latissimam stationum notionem effingendam putarunt, quae omnibus, vt videbatur, locis, certe aliquo modo conueniret, re tamen vera paucis mediocriter, omni ex parte nullis, congruit. Non multo restrictiorem stationum explicationem olim dedit BEATVS RHENANVS, cum earum religionem omnem in eo constitisse docet, vt stantes precarentur, sicut sacrorum publicorum diei dominicae ritus tunc postulauit. [o] Quae si vera esset stationum notio, non quidem

[n] ONVPHRIVS PANVINIVS *de ritu sepeliendi mortuos. c. XI.*

[o] BEATVS RHENANVS *Annot. ad librum Tertulliani de Corona militis c. XI. iam et stationes.* Notae sunt militum stationes. At stationes apud

quidem omnes, permulti tamen conuentuum publicorum dies, ambitu ſtationum comprehenderentur. Non ſolum enim omnes dies dominici, ſed et quinquaginta a Paſchate ad Pentecoſten dies, in numero ſtationum, computandi eſſent, ſiquidem conſtat, iſtis quinquaginta diebus a geniculationibus Chriſtianos abſtinuiſſe.[p] Interim de die dominico, ne forte in ſtationum diebus reputatus olim ſit, ſuſpicionem mouere poſſunt verba Tertulliani:[q] *Iam et ſtationes* (miles Chriſtianus) *aut alii magis faciet, quam Chriſto, aut et Dominico die, quando nec Chriſto.* His equidem in verbis, ſi TOBIAM PFANNERVM audias,[r] tantum

apud Chriſtianos conuentus erant, cum ſtantes precarentur, id quod fiebat dominico die.

[p] TERTVLLIANVS *de Corona militis c. III.* Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchae in Pentecoſten vsque gaudemus.

[q] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. XI.*

[r] TOBIAS PFANNERVS *Obſeruat. Eccleſiaſt. P. II. Obſ. V. §. XV. p. 284.* Tertullianus militiam diſſuadens homini Chriſtiano, et quam non congruant huius, atque militis, munia, pluribus indicans, *iam et ſtationes,* inter alia inquit, aut alii magis faciet, quam Chriſto, aut et dominico die, quando nec Chriſto? Diſertiſſime oſtendens, contingere poſſe, vt Chriſtiano ad militiam nomen profeſſo prouincia obeundae militaris ſtationis eueniat etiam die dominico, quo

tantum abeſt, vt aliquod, diei dominicae in ſtationum numero habendae, veſtigium appareat, vt potius argumentum maxime perſpicuum praebeant; ad diem ſolis a ſtationum munere liberandum. Miraturque Pfannerus, Rhenanam vsque adeo nihil vidiſſe in meridiana luce. At enim vero, Rhenanus, tametſi errauit, non tamen ita hebetem ſe praeſtitit interpretem, vt non facilem a nobis debeat veniam impetrare. Tertullianus vtique militi Chriſtiano exprobrat, partim quod homini magis, quam Chriſto, ſtationem faciat, partim quod die ſolis, nonnunquam, omnino Chriſto non faciat. Hinc non inepta conſequentia elicitur, militem Chriſto ſtationem, die ſolis, praeſtare debuiſſe. Eo vsque, quae Tertulliani mens ſit, patet; ſed, quae ſit ea ſtatio, quam a milite Tertullianus exigit, minus expeditum, et propterea paulo altius repetendum eſt. Tertullianus nempe, more diſputantium et oratorum, notionem ſtationis mutat, mutatamque in rem ſuam trahit, vt hic non iſtud peculiare officium, cui dies Veneris et Mercurii deſtinatus erat, ſed quemlibet accuratiorem

F Chriſti

quo eas ne Chriſto quidem facere ſueuerit. Ita ſtationes die dominica non obiri ſolitas, numquid non diſertiſſime Tertullianus ſignificat?

Christi cultum, notet. Igitur militem Christianum, sophistico tamen argumento, reprehendit, quod partim diligentius homini, quam Christo, seruiat, partim etiam cum detrimento cultus publici, die dominico Christo praestandi, homini seruiat. Vterque horum interpretum, nimium, propriae vocis significationi adhaesit, quam neuter, sine Tertulliani iniuria, retinere potuit: Rhenanus quidem, dum stationum diebus dominicum admiscet, quorum tamen numero alibi a Septimio eximitur; Pfannerus autem, cum Tertullianum fingit ea de caussa militem suum reprehendere, quod, quo die ne Christo quidem stationem faciat, eo stationem praestet homini; quae sententia nihil habet aculei. Quid enim a culpa magis vacuum, quam tempus, pietatis officiis nulla lege destinatum, principi, ac reipublicae, consecrare?

§. XIV.

Accepisti, Lector beneuole, integram sententiarum seriem, ad declarandam stationum indolem ab eruditis hactenus proditarum, quas in eum studiose ordinem redegimus, vt, quo modo, per gradus, longius a se inuicem discedant, nullo negotio perspicias. Caussam vero tanti, tamque varii, dissensus facilius cogon-

cognofces, fi noftram de dubia hac antiquitate parte teneas doctrinam. Ita autem fentio: STATIONES, ante Tertullianum, ipfoque adhuc eius aeuo, nihil aliud fignificare, quam *diem, aut infignem diei partem, quam quisque, cum id e re fua effe videretur, precibus, piisque meditationibus, quae praefertim in morte, et paffione, Chrifti verfarentur, libere deftinauit.* Hanc fi notionem in omnibus hactenus excitatis Tertulliani locis adhibere tentes, recte omnia fluere, nihilque, vel parum, quod obfcuritate laborat, tibi offerri, experieris. Eft autem verae, quam teneas, fignificationis certiffimum indicium, quod cum demonftrationum, quam Geometrae iactant, certitudine conferre non dubito, fi nullibi haereas, fi librum, in quo euoluendo verfaris, nihil abfonum, nihil fibi repugnans, nihil denique exploratis veritatibus inimicum, continere intelligas. Non tamen ifta folum, cum fit firmiffima, fententiae meae defenfione nitar, fingulas infuper eius partes certiffimis probatas dabo teftimoniis. *Primum* igitur, quod euincendum video, hac abfoluitur propofitione: *Statio eft eiusmodi pietatis officium, quod aliquo die, non communiter omnes Chriftiani, fed quibus placet, fufcipiunt.* Audiamus TERTVLLIANVM, ftationum ordinem, omnibus Montaniftica vifio-

ne non infectis, probatum sic studiose enarrantem. [f] *Certe in Euangelio*, inquit, *istos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus est sponsus, et hos esse iam solos legitimos ieiuniorum Christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus. - - - Itaque de caetero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouae disciplinae, pro temporibus et caussis vniuscuiusque. Sic et Apostolos obseruasse, nullum aliud imponentes iugum certorum, et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum, proinde nec* STATIONVM, *quae et ipsae suos quidem dies habeant quartae feriae, et sextae, passiue tamen currant, nec sub lege praecepti, neque vltra supremam diei, quando et orationes fere hora nona concludat, de Petri exemplo*, quod Actor. III. I. refertur. Non quid ipse, sed quid vniuersa, exceptis Priscillae et Maximillae alumnis, ecclesia de stationibus sentiat, his Tertullianus exponit verbis. Nihil autem magis hic elucet, quam stationem eiusmodi pietatis officio absolui, quod *indifferenter, non sub lege praecepti, licite* tamen, siue *passiue, nec in commune ab omnibus, sed a singulis*, pro temporibus cuiusque, et caussis, suscipiatur. Igitur isto tempore in singulis ecclesiis, quolibet Mercurii Venerisque die, nonnulli, quos aut

[f] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. II.*

aut ſingularis pietatis ſenſus, aut tempora ſua ſtimulabant, ſtationis munus obibant, numero fortaſſis nonnunquam tam pauci, vt coetui faciendo ne quidem ſufficerent. Res tam perſpicue iſta, tantaque verborum varietate, propoſita, et quidem a Tertulliano, veteri ſtationum libertati hoc ipſo libro bellum indicente, nullam, vel minimam, relinquit dubitandi cauſſam.

§. XV.

Sed quid negotii tractauerit in ſtationis religione occupatus chriſtianus, *ſecundo* iam loco inquirendum eſt. *Orabat* nimirum: ſi orationem dicas omnem acriorem rerum ad animae ſalutem ſpectantium cogitationem. Vnam hanc actionem totum ſtationis officium abſoluiſſe contendo. Aſſerti has mei rationes accipe. 1. De iuſta ſtationum mora lis Montaniſtas inter atque Orthodoxos agebatur, his non vltra tertiam pomeridianam protrahendas eſſe contendentibus, iſtis vero ad horam vsque ſextam, ſiue veſperam, eas producentibus. Orthodoxi omnem ſuae cauſſae defenſionem in exemplo Petri, circa tertiam horam orantis, poſuerunt; quod argumentum cum Tertullianus, facile, quippe ab exemplo, nec ſatis commodo, petitum [t] euerteret, nihilominus modum ex loco de

[t] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. X.* Nunc ad proprium huius ſpeciei articulum, de modo temporis dico, de ipſis prius

de *precibus* stationum leges figendi, non solum non repudiat, sed etiam demonstratione sua, ex eodem principio petita, confirmat. II. Exemplum vero Petrinum,[u] ne suae noceret caussae, quomodo elidat Septimius, videas. Fatetur, si stationem isto die egerit Petrus, multum omnino roboris habiturum, ad definiendos, qui disceptabantur, stationum limites. Sed negat Petrum isto die operam stationi dedisse, quandoquidem hora solum tertia, sexta, et nona orauerit. Quaeris igitur, quid tandem officio a Petro peracto desit, quo minus statio agnoscatur? nempe nihil aliud, quam, quod interruptis precationibus est oppositum, preces nempe assiduae, et continuae. Totum igitur stationum tempus oratione transigebatur. Hinc enim est, quod Mosen, in summo populi sui periculo, ad occasum vsque precantem,[x] veluti praecipuum stationis vetustae exemplar, commemoret, eoque in V. T. loco inpri-

prius expostulandum, vnde hanc formam, nona dirimendis stationibus, praescribant. Si quia Petrus, et qui cum eo, ad horam nonam orationis, templum ingressi leguntur, quis mihi probabit, illos ea die statione functos, vt horam nonam ad clausulam et expunctionem stationis interpretetur.

[u] Act. III. 1.

[x] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. X.* In Exodo habitus ille Mosis, aduersus Amalech orationibus praeliantis, vsque in occasum perseuerans, nonne statio fuit sera?

inprimis ſeſe iactet; tandem vero, additis pluribus exemplis, concludat: *Haec erit ſtatio ſera, quae, ad veſperam ieiunans, pinguiorem orationem Deo immolat.* [y] Nullam igitur vnquam ſtationis aliam partem memorat Tertullianus, praeter ieiunium, et orationem. De ieiunio mox diſpiciemus, nunc vero preces, ſi a ieiunio tantisper receſſeris, totum ſtationis officium abſoluiſſe recte demonſtratum putamus.

§. XVI.

Adiiciemus tamen plura, quae confirmando et declarando, ſtationum, quod ponimus, officio inſeruiunt. Eademque ſimul opera, alteri, quae moueri poſſet, quaeſtioni ſatisfaciemus: in qua demum rerum religioſorum parte contemplanda potiſſimum verſati ſint ſtationibus operam dantes chriſtiani? Duo igitur *orationis* ſtationariae ſumma *capita* a Tertulliano demonſtrata reperio, quorum alterum memoriam paſſi, et mortui, ſeruatoris continet, alterum prolixam commiſſorum peccatorum commemorationem indicat. Memoriam mortis Chriſti in ſtationibus mente verſare conſueuiſſe chriſtianos, hic locus docet: [z] *Venit enim* (ſtatio) *de exitu Domini, quem etſi ſemper commemorare oportet, ſine differentia horarum, impreſſius tamen,*

[y] TERTVLLIANVS *l. c.* [z] ID. *Lib. cit. c. XII.*

tamen, *cum iis*, (ſc. pſychicis) *ſecundum ipſum ſtationis vocabulum, addiſcimus. Nam et milites, nunquam immemores ſacramenti, magis ſtationibus parent*. Vides communem Montaniſtarum, et purioris coetus, morem, celebrandi in ſtationibus ſalutaris paſſionis memoriam. *Alteram* vero precum partem indicat, dum aduerſarios ſuos accuſat, quod non ſint *bella propria metuentes*, quae ſtationibus diſcutiantur.[a] Propria bella, ni fallor, nihil aliud notant, quam partim accepta iam ex commiſſis criminibus vulnera, partim etiam a cupiditatum vi in poſterum metuenda. Confeſſio igitur peccatorum potiorem precum, in ſtationibus fundendarum, partem conſtituebant. Hinc ſine dubio noſter, vbi a ſtatione Danielis, ad longiorem ſtationum moram, argumentum ducit, exomologeſin prophetae tribuit, vt eo maiorem pietatis, quam iſte praeſtitit, cum ſtationibus Chriſtianorum ſimilitudinem exſculperet.[b]

§. XVII.

[a] Vid. §. V. p. 15.

[b] TERTVLL. *Lib. cit. c. X.* Sed et Daniel anno primo regis Darii cum ieiuniis, in ſacco et cinere, Exomologeſin Deo ageret, et adhuc, inquit, loquente me, in Oratione, ecce vir, quem videram, in ſomniis initio, velociter volans appropinquauit mihi, quaſi hora veſpertini ſacrificii.

§. XVII.

Ita vero nullo nunc negotiõ patere arbitror, cur ſtationem veteres Chriſtiani lugubre quoddam, et laetitiae aduerſum, reputauerint officium. Huius enim opinionis indicia maxime manifeſta in Septimio deprehendo. *Itaque*, inquit, *in eam vsque horam celebranda* (ſtationum) *preſſura eſt, in qua a ſexta contenebratus orbis defuncto domino lugubre fecit officium, vt tunc et nos reuertamur ad iucunditatem, cum et mundus recepit claritatem.* [c] Confecta narrat ſtatione ad laetitiam redire Chriſtianos, ſicque in luctu iſtos verſatos eſſe, non innuit, ſed diſerte pronuntiat, ac fere clamat. Ac, quam ſibi conſtet Tertullianus, ex alio loco cognoſcimus, quo de patribus agit in Concilium coactis: *Conuentus autem illi ſtationibus et ieiunationibus operati, dolere cum dolentibus, et ita demum congaudere gaudentibus norunt.* [d] Vides, quomodo luctuoſo patrum ad concilium ſeſe praeparantium officio, quod ieiunium eſt, adiunguntur, tanquam eiusdem pietas generis, ſtationes.

§. XVIII.

De *diebus* ſtationum, non eſt, quod multis dicamus, cum exploratum ſit, tempore Ter-

G tullia-

[c] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c.X.*

[d] ID. *l.c.*

tulliani, Christianos, praeter Montanistas, quartam solum, et sextam, non cuiusque, sed cuius libuit, hebdomadis diem stationibus dicasse. Contendebant enim, narrante Septimio, Montani hostes, *habere stationes suos dies, quartae feriae et sextae.* [e]. Quin etiam Montanistae, quamuis a moribus purioris coetus recedebant, iisdem tamen diebus suam religionem integram seruare voluisse videntur, cum eorum Promachus, cultus antiqui veluti retinens, dicat: *cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus?* [f] Hanc igitur rem, cum nihil anceps habeat, missam facimus, et ad *horas* coeptarum, atque finitarum, stationum progredimur. *Initium* quidem, nemo ex iis, quibus vtimur, facile definiet monumentis, tacente Tertulliano, vel quod ea de re nulla orthodoxos inter, et Montanistas, lis agebatur, vel quod certam adeundae stationis horam omnino habebant nullam. Suspicari tamen licet eos, qui temporibus suis moti, stationem sibi sponte indixerant, non eo die, quam caeteris, longius ronchos duxisse, quin potius, summo mane, excusso palpebris somno, ad peragendum stationis opus sese composuisse. *Finitae* stationis horam certius non solum plerique, sed et certis-

[e] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. II.*

[f] ID. *Lib. cit. c. XIV.*

certiſſime, perſpectam habere putant, ſiquidem non vltra horam nonam trahendas Eccleſia Montano antiquior, et ſanior, duxerit. [g] Hinc vtique longiſſimae ſtationis tempus procul ambage eruitur, ſed non perinde facile definitur, an non breuiores quoque ſtationes ſibi veteres indixerint Chriſtiani? Mihi quidem ſtationum huiusmodi veſtigia alicubi vidiſſe contigit. Nimirum Montaniſtae die quoque Sabbati ſtationes celebrabant, quas tamen, fatente Tertulliano, mox hora decima, mox etiam duodecima, ſeu vt iſte loquitur, hora quarta, vel ſexta, finiebant. [h] Quod ſi iſta ſtationum breuitas ab antiquo, et vulgari, Chriſtianorum more abhorruit, quare vero orthodoxi non aeque Pepuzianos de contractis, quam de protractis, accuſabant ſtationibus? cum nihil omnino vel in ieiuniorum, vel ſtationum, ritu mutatum vellent. [i] Probaſſe, dum non improbarunt, variam ſtationum menſuram, dummodo horam nonam non excederet, calculo ſuo videntur. Igitur, donec grauius quoddam nobis opponatur argumentum, hanc veterem fuiſſe ſtatio-

 num

[g] vid. §. XIV. p. 44.

[h] vid. §. XXIV.

[i] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. XIII.* Praeſcribitis conſtituta eſſe ſolennia huic fidei, ſcripturis, vel traditione maiorum, nihilque obſeruationis amplius adiiciendum, ob illicitum innouationis.

num legem contendimus: *vt cuique ſtationis ſuae, qua vellet hora, finiendae ius eſſet.* Suſpicor autem quemque, quo magis acuto vel criminum ſuorum, vel calamitatum, pungeretur ſenſu, eo longiorem indixiſſe ſibimetipſi ſtationem.

§. XIX.

Non verendum eſt, ne nimiae vel diligentiae accuſemur, vel curioſitatis, ſi locum etiam ſtationum inueſtigare annitimur, quem et quaeſitum a nonnullis, et male monſtratum (§. XI. XII.) vidimus. Diſertis quidem verbis, nullum, quo ſtationes facere conſueuerint, locum indicat Tertullianus, nonnihil tamen opis noſtrae diſquiſitioni paſſim affert. Primo quidem id in rem noſtram vertimus, quod plurimos ſtationem facientes ad ſacrae Euchariſtiae non accedere narrat. Inde enim concludo, quod nonnulli ſtationi operam dantes ſacris publicis eius diei adfuerint. Audiamus iterum ipſum Patrem: [k] *Similiter*, inquit, *de ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quod ſtatio ſoluenda ſit, accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obſequium euchariſtia reſoluit? an magis Deo obligat? Nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi et ad aram ſteteris?*

[k] TERTVLLIANVS *de Oratione c. XIV.*

teris? accepto corpore Domini; et reseruata, (reseruato) vtrumque saluum est, et participatio sacrificii, et executio officii. Si statio de militari exemplo nomen accipit, nam et militia Dei sumus, vtique nulla laetitia, siue tristitia obueniens castris stationes militum rescindit. Nam laetitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam. Hunc locum, quem iam non vno modo vindicauimus, (§. VIII. IX.) nunc etiam, si Musae faueant, noua ratione illustrabimus. Quaeritur, quare stationi faciendae obligati ad sacram coenam accedere noluerint? et quid sibi velit, stationem soluendam esse accepto corpore Domini? Totam horum hominum religionem sic mente concipio. Existimabant post vsum S. coenae, accepto scilicet certissimo diuinae gratiae pignore, neque de peccatorum onere querelas instituendas, lacrymasue fundendas esse, neque eorum remissionem, veluti amplius dubiam, anxia precatione exorandam esse. Igitur suae huius opinionis memores, stationem, quae supplicationes, et planctus exigebat, (§. XVII.) accepto corpore Domini, non protrahendas, sed in gratiarum actiones, plenosque laetitiae hymnos, vertendam putabant. Cum igitur essent, qui longioris, et ad horam forsitan nonam protrahendae, stationis consilium, et votum, susceperant, (§. XVIII.) hi, pro-

positi tenaces, vsu sacrae coenae isto die potius abstinendum, laetitiaque, quae epulum dominicum excipiebat, sibi interdicendum existimabant. Ita vero factum est, vt sacrificiorum, siue Eucharisticis, precibus, non interuenirent, hoc est, quod interpretes volunt, vt ante preces istas, cum exeundi adhuc potestas esset, abirent: vti vero mihi videtur, vt omnino ad sacra publica ea die non accederent. Cuius sententiae hanc 1) non solum rationem habeo, quod *precibus non interuenire* is dici vix possit, qui cum adesset, ne precibus intersit, ante discedit; 2) sed quod etiam iste discessus, varias spectantibus suspiciones mouisset, vel certe stationem, quae, vt mox ostendemus, celari debebat, prodidisset. Nihil vero difficultatis habet, si sentiamus, homines istos scrupulosos, et de statione intempestiue soluenda sollicitos, ad sacra publica plane eo die non accessisse. Qualis autem scrupulus haud paucos, monente Tertulliano, vexarit; modus, quo istum eximere conatur, optime declarat; cum a militum stationibus, nulla laetitia, tristitiaque rumpendis, concludit, neque laetitiam epuli sacri stationis luctui, nec huius tristitiam epuli diuini laetitiae officere, sed vtramque in vno stationis officio recte copulari. Igitur cum plerosque sacra publica die stationis non adiisse constet,

paucos

paucos certe, seu aliquos, stationis partem in oratorio, interque publica sacra transegerunt. Id vero vel prima loci huius lectione patet. Sed quid si inuertamus Tertulliani sententiam, et plerosque contendamus stationem facientes Eucharisticis precibus interuenisse, paucos, nouo isto scrupulo tactos, sacris publicis abfuisse? Apage, inquies, cum tua interpretatione, qua arte plus quam Circaea, plerosque in paucos vertere conaris. At nihil praestigiis opus est, vt istud, quod mihi patuit, in verbis Tertulliani videas. Quotam enim coetus alicuius partem oratori dandam esse putas, vt ille plerosque a parte sua stare sibi persuadeat? aut quantum corporis partem corruptam esse oportere censes, vt ille, de toto iam corpore corrupto grauissime conqueratur? Nam dum vim exemplorum metuit, quae a paucis, breui nonnunquam tempore, ad omnes peruadunt, dumque eos, qui suae caussae obstant, contemnit, nec in numero habet, e paucis plurimos, facili, nec vnquam improbata, arte efficit. Id Tertulliano eo facilius credo contigisse, quo difficilius erat stationibus, quae occulebantur, operam dantium numerum indagare, et quota pars sacris publicis vel interesset, vel abesset, accurate definire. Sit autem, Tertullianum nullo hoc in loco ornamento orationis vti, nihilque inuidiae augendae

gendae caussa fingere, non tamen de toto Christianorum coetu, sed de Carthaginiensibus tantum, quorum perspiciebat mores, sermonem fecit. Mihi autem, non quem Poeni, sed quem Christiani, seculo secundo, stationum tenuerint ritum, inuestigare constitutum est. Ista vero ratio, quare Carthaginiensium nonnulli, vel etiam, vti Tertullianus loquitur, plerique, stationis diem Eucharisticae laetitiae immunem esse voluerunt, neque adeo aperta, nec ad popularem sensum ita accommoda est, vt ad plurimos, per vniuersas Ecclesias, penetrasse videatur. Igitur ex adducto Tertulliani loco, hanc vel suspicionem, vel veritatem, elicimus: *Christianos stationum diebus, perinde vt caeteris, quibus impedimento vacabant, sacra publica adiisse, atque ad mensam Dominicam accessisse.*

§. XX.

Partem temporis stationibus dicati, quo loco transegerint plerique Christianorum, in vestigauimus. Cum vero, post sacra publica, longa ad horam tertiam pomeridianam mora restaret, quo postea sese contulerint, qui stationi operam dabant, et quem illi, qui sacra publica omnino isto die non adibant, pietatis suae obeundae caussa locum elegerint, nullo aperto testimonio, nec sine ambage, cognoscere datur. Nos tamen ne longiores quidem ambages

aegre

aegre feremus, dummodo ad verum deducamur ſtationis locum. Aditum nobis patefaciet altera veritas, quam ſigillatim exponendam iam ſumimus, quod nempe *Chriſtiani ſtationem, quam faciebant, ſtudioſe occultarunt*, niſi quis eam forte, per imprudentiam, acute videntibus proderet. Id quomodo reſciuerim iam indicabo. Duo priuatae pietatis olim erant officia, quibus veterum quisque Chriſtianorum, cum temporibus ſuis admoneretur, ſponte fungebatur ſua; *ieiunium* et *ſtatio*. Horum ſi alterutrum, vt non palam perageretur, cauebant Chriſtiani, non putarim in altero oſtentando nihil iſtos ſe peccare arbitratos eſſe. De ieiunio vero compertum habeo, eius occultandi ſtudium, inter veteres Chriſtianos, haud mediocriter floruiſſe. In eo enim, quem paginae ſubiunximus,[1] loco Tertullianus non ſolum 1) legis, diuinae puto, meminit, de ſeruanda tacita ieiu-

[1] TERTVLLIANVS *de Oratione c.XIV.* Alia iam conſuetudo inualuit, ieiunantes, habita oratione cum fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis - - - Quale ſacrificium eſt, a quo ſine pace receditur? quaecunque ratio ſit, non erit potior praecepti obſeruatione, quo iubemur ieiunia noſtra celare. Iam de abſtinentia oſculi agnoſcimus ieiunantes. Sed et ſi qua ratio eſt, ne tamen huic praeceptor tu ſis, potes domi forte, inter quos latere ieiunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunque autem ali-

bi

ieiunii religione, ſed etiam 2) in vniuerſum ita ea de re loquitur, vt conſentientem ſibi non ſolum gregem, ſed etiam praecepti obſeruantem habuiſſe videatur, niſi quod nonnulli, nimium ieiunii religioni ſtudentes, oſculum pacis fratribus ſubtraherent, eoque certum praeſentibus ieiunii praeberent indicium. Cum autem, pro ieiunii voce, latius patentem, *operationis*, ponat, id ipſum nos admonet, non minus eos, qui ſtationibus, quam qui ieiunationibus, operabantur, ad celandam pietatem, et lege, et vſu, obligatos fuiſſe. Imo in occultandis ſtationibus tanto magis, quam ieiunationibus, ſollicitos fuiſſe coniicio, quo maior eſt oſtentatae precationis, quam ieiunationis, inuidia.

§. XXI.

Cum igitur occultum conſtet ſtationum officium veteres amaſſe Chriſtianos, coniectura iam aſſequi licet, nullum certum ſtationis locum, ſcripti *de Oratione* libri tempore, in Eccleſiis exſtitiſſe. Id vnum in loco ſtationi deſtinando requirebatur, vt ſtationi occulte faciendae eſſet idoneus. Quare id extra controuerſiam poſitum arbitror, nullo in loco publico, non in oratoriis, niſi cum ſacra publica peragerentur, nec in coemeteriis, ſtationi ſeruien-

bi operationem tuam abſcondere potes, debes meminiſſe praecepti, ita et diſciplinae ſoris, et conſuetudini domi, ſatisfacies.

uientes conſtitiſſe; niſi forte in coemeteriis, antequam ob martyrum ſepulchra adirentur, tanquam in aliquo latibulo, ſe quis aliquando abdidit. Caeterum in conclaui potiſſimum quemque ſuo, in preces et lacrymas effuſum, ſtationis officium peregiſſe cenſeo: quosdam etiam, quos vel dignitas, vel ſpeculator, non retinebat, in, montes et ſyluas, ſuauia amantibus, et quicunque ſuis ſe paſcunt cogitationibus, habitacula, ſe recepiſſe. Ita HERMAE *Paſtorem*, quo demum cunque tempore ſcriptum, intelligo, [m] vt, quod in monte conſediſſet, ſtationis cauſſa, non ieiunii, declarationis ergo adiecti, factum exiſtimem. Quod reliquum eſt, cum totius ſtationis, ac loci etiam, regulam ſibi quisque ſcripſit ipſe, non eſt, cur Chriſtianos ad varia ſtationum ſe conferentes loca, quaſi inopinatum quid exploraturi, longius comitemur.

§. XXII.

Officio magis meo obtemperans, quam ingenio, de *ſitu corporis*, ſtationibus fortaſſis proprio, disquiſitionem inſtituo. Quis enim ſtatim non videat, negotium ſacrum, nullo ſpectante, praeter conſcium rerum omnium Numen, libereque ſuſceptum, non admittere neceſſarium, et immutatum, corporis ſitum, quippe ipſam rerum diuinarum acrem cogitationem

H 2 haud

[m] conf. §. VII.

haud dubie impediturum? Quapropter ſtationem Deo litantem fingere oportet, quemadmodum nunc ſtet immotus, nunc etiam ſedeat, nunc in genua procumbat, nunc denique pronum corpus ſuum, ſeque ipſe, in terram proſternat. Contra ea ſi quis affirmare audeat, Chriſtianos a ſtationis exordio, vsque ad finem, columnarum inſtar, aliquo in loco immotos conſtitiſſe, huic non citius fidem habiturus ſum, quam mihi probatum dederit, Chriſtianos, ſeculo iam ſecundo, non ab Apoſtolorum ſolum praeceptis, ſed etiam ſanae rationis, deſciuiſſe. Mouiſſe tamen nonnullos videtur ſtationis vox, quae cum a ſtando dicatur, ſtantes in ſtationibus Chriſtianos indicare videatur. Neque enim aliam ſuſpicari cauſſam licet, quae deceperit BEATVM RHENANVM,[n] et, qui hoc commentum laudat, HILDEBRANDVM, quorum vterque, quod vocis Etymo tantum dederint, merito vapulat PFANNERO.[o] Huius igitur ſententiam, quae pro genuflexione laborat,[p] penitus probamus, modo caueatur, ne libertas ſedendi, ſtandique in ſtationibus, aliquid inde capiat

[n] BEATVS RHENANVS *Annot. ad Tertullianum de Corona militis Cap. XI. Iam et ſtationes:* Stationes apud Chriſtianos conuentus erant, cum ſtantes precarentur.

[o] TOB. PFANNERVS *Obſeru. Eccleſ. P. II. obſ. V. §. XIV. ſſ.*

[p] ID. *l. c. §. XIX.*

piat detrimenti. Interim ea, de ſtantibus in ſtatione Chriſtianis, opinio nouam interpretandi Tertulliani rationem peperit, ac ſi, quod ante (§. XIX.) vidimus, nonnulli ad ſacram coenam dubitarint accedere, quod ibi, accipiendi corporis Chriſti cauſſa, inclinandum, certe mouendum, foret corpus;[q] Quae opinio etiamſi paruam habeat veritatis ſpeciem, occaſionem tamen nobis praebet oſtendendi, varium omnino corporis ſitum non paucos tenuiſſe Chriſtianos vna in ſtatione. Nam accedebant die ſtationis ad ſacra publica, quae die vel Mercurii, vel Veneris, peragebantur. Ibi vero de geniculis adorandum erat. (vulgaribus enim diebus genua flexiſſe veteres neceſſe eſt, cum is ritus olim obtinuerit, nec tamen die ſolis obtinuerit.) Praeterea, cum ex Tertulliano conſtet, in ſacris publicis, orationis tempore, quosdam conſediſ-

 ſe,

[q] *Compend. Antiquit. Eccleſ.* a S. V. I. G. WALCHIO procuratum *p. 175.* Adibant, qui ſtationem vouerant, martyrum ſepulchra, Templa, conuenticula, ibidemque orabant, cum vero quarta quaque, et ſexta, feria hebdomadis communiter conuenirent plurimi ad ſtationes faciendas, factum eſt id, quod ſolebat ſemper in omnibus conuentibus, vt ſacrae coenae myſteria diſtribuerentur. Ad quae cum contra naturam ſtationum inclinandum et mouendum foret corpus, multi dubitabant, qui ſtationes faciebant, coenam dominicam tum ſumere, ac ſtationem ſoluere.

ſe,[r] indeque pateat, multo magis ſermonibus ſacris ſedentes auſcultaſſe, non dubito eos quoque, ſtationi qui operam dabant, cum reliquis, ne operationem ſuam proderent, (§. xx.) conſediſſe. Ergo nullum affectatum, vel ſuperſtitioſum, ſtandi officium in ſtationis ritu eo tempore continebatur, quin libertatem Chriſtianam, vt caeteris in rebus, ſic hac quoque in ſtationum parte, prudentes retinuerunt.

§. XXIII.

Ad quaeſtionem magis impeditam nos ii tractandam ducunt, qui ſtationibus, etſi a ieiuniis diuerſis, *ieiuuia* tamen coniuncta fuiſſe opinantur, quod nec omni ex parte veritati conſonum, nec omnino falſum videtur. Rem ſic teneas. 1) Primum id pro comperto ab omnibus haberi puto, veteres ſtationum tempus nullo non ſolum prandio, ſed ne vllo quidem cibi vſu, diſtinxiſſe. Erant autem ſtationes quaedam breuiores, nec ad prandii quidem tempus productae, (§. xviii.) in quas nulla ieiunii ſuſpicio cadit. Longiores autem ſtationes ad nonam productae, anne ieiunium ambitu ſuo includant? ambigitur. Tertullianus quidem

[r] TERTVLLIANVS *de Oratione c. XII.* Item, quod aſſignata oratione aſſidendi mos eſt quibusdam, non perſpicio rationem.

dem non ſolum a ſtationibus ieiunia ſollicite diſtinguit, ſed etiam, cum e re ſua putaret, ieiuniorum montaniſticorum et nouitatem, et multitudinem, ex ipſis orthodoxorum liberis, et rarioribus, redarguere ieiuniis, nihilominus ſtationibus non audet ieiunium adſcribere, *ſemiieiunia* ſaltem iſtorum dierum inediam appellans. [f] Igitur conſtat, ieiunii notionem, qua tum vulgo homines vtebantur, ad ſtationes nihil pertinere. 2) Res autem tota, quae diſceptatur, a ieiunii ſignificatione pendet, quae inconſtans eſt, et mirum in modum vaga. Tertullianus nempe, cum ſtationibus ieiunium tribuere non audet, hanc vocis notionem tenuiſſe videtur, qua *inediam vexandi corporis cauſſa ſuſceptam* denotat. Quare cum ſtationum officium, totum quippe in Oratione poſitum, (§. XV.) nihil huiusmodi deſideraret, vtique nullum, qui ſtationi operam dabant, ieiunium exercere videbantur. Quodſi contra ieiunium omnem prandii, praeter morem, dilationem interpreteris; omnes, qui ſtationes vltra prandii horam protraxerunt, ieiunaſſe dicendi ſunt. Tertullianus autem ſollicite diſtinguit, recu-

[f] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. XIII.* Ecce enim conuenio vos et praeter Paſcha ieiunantes --ſet ſtationum ſemiieiunia interponentes.

recusatum, quod ieiunio, et *retardatum*, quod stationi conuenit, pabulum; [t] nec non *demoratum*, et *sublatum*, cibum. [u] 3) Sed disceptant eruditi, quo pacto *stationum semiieiunia*, appellet Septimius. *Binghamius* vulgarem, Ecclesiasticam tamen, vocem accipit, eo fine conditam, vt a longioribus ieiuniis discernerentur. [x] Vereor autem vt veteres, praeter Tertullianum, hoc vnquam vocabulum vsurparint. PETAVIVS aliam ingreditur viam, [y] et, per contemptum, semiieiunia a Tertulliano dici autumat. Sed vim argumenti rectius inspicienti apparet Tertullianum, non contemtus caussa, sed

[t] Vid. §.V. p.16.

[u] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. II.* nec adeo necessaria existimari sublati, vel diminuti, vel demorati cibi officia.

[x] BINGHAMII *Orig. Lib. XIII.c.IX.§.II. Tom.V.p.282.* vnde etiam dicebantur semiieiunia in appositione ieiunii quadragesimalis, quod ad vesperam semper durabat.

[y] DION. PETAVIVS *in Epiphan. p. 358.* Quid sit autem, cur a Tertulliano ieiunia stationum dicentur semiieiunia, facile est concipere. Vt enim res suas, et Montanistarum sententiam, et mores, extollat, qui ad vesperam stationes suas producebant, easque hora nona, vt orthodoxi, dimittere nolebant, per contemtum vocat ea ieiunia, quibus Orthodoxi diebus stationum se exercebant, *semiieiunia*, quia ea non continuabant, vltra horam nonam, qua hora ieiunia, aeque ac ipsas stationes dirimebant.

ſed vt haberet, vnde pro ieiuniis ſuis argumentum duceret, praeter ieiunia, quae exercebant, ſemiieiunia amplius Orthodoxis affingere, qui tamen ſibi eo die ieiunare ipſi plane non viderentur.

§. XXIV.

Inſtaurauimus, quantum in tanta monumentorum primi ſecundique ſeculi penuria fieri potuit, veterem ſtationum formam, quam cum a Montano haud leuiter immutatam legamus, noſtrarum eſſe ducimus partium, vt collatis inter ſe Montaniſticis, et purioris coetus, ſtationibus, an ſanctitatis aut incrementum ceperint, aut damnum paſſae ſint, inueſtigemus. I. Ita vero Montanus cenſuit, *ſtationes, non amplius ex cuiusque arbitrio ſuſcipiendas, ſed communiter ab omnibus ſuis aſſeclis, vel, vt ſperauit, Chriſtianis, ſtatis temporibus obeundas eſſe.* Reſtitit aliqamdiu nouae legi ſincera Eccleſiae pars, de qua ita conqueritur Tertullianus:[a] *Aeque*, inquit, *ſtationes noſtras, vt indignas, quasdam et in ſerum conſtitutas, nouitatis nomine accuſant, hoc quoque munus ex arbitrio obeundum eſſe dicentes, et non vltra nonam detinendum,*

[a] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c.X.*

dum, de ſuo ſcilicet more. Vides, duo hic conſtitui accuſationum capita, quorum alterum, nunc a nobis adnotandum, libertatem ſuſcipiendarum ſtationum attinet, alterum vero ſtationum moram. Iuſtitiam igitur nouae diſciplinae, cuius iugo collum ſubmiſerat Septimius, defendendam ſuſcipit a Cap. x. vsque ad xiii. atque per ſingulas ſuae, quae ſane infeliciter ipſi ceſſit, demonſtrationis partes, id magis confirmat, non liberas inter Montaniſtas, ſed lege indictas, nec ſine piaculo negligendas, ſtationes obtinuiſſe. Scire autem forte aues, quos demum *dies* Montanus ſtatione celebrare ſuos iuſſerit? Non totum equidem faſtorum Montaniſticorum ordinem teneo, nonnullas tamen eius indictiones enumerabo. 1) Videntur diem quartum ſextumque cuiusque hebdomadis, ſtationi, cum ieiunio apud ipſos coniunctae, dicaſſe. Rationes aſſerti ſic colligo. Frequentiſſima Montaniſtae habuerunt ieiunia, cum corporis etiam maciem inde contraherent.[a] Igitur eos patet, non per menſem ſemel, aut bis, vnde nullum pinguedini damnum imminet, ſed ſingulis ſeptimanis non ſemel

[a] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. XVII.* Macies non diſplicet nobis, neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, ſicut nec ſpiritum ad menſuram etc.

mel ieiunasse. Praeterea cum quartae sextaeque feriae sanctitatem non imminuisse videantur: his eos diebus, quauis hebdomade, stationis, simulque ieiunii, pressuram sustinuisse probabilis adest suspicio. 2) Diem quoque sabbati apud Montanistas statione non vacasse e Tertulliano disco. Hic enim cum a superstitionis macula suos liberare vellet, ita rationes protractarum, vltra horam nonam, stationum reddit: nos non ideo protrahimus, *quasi respuimus nonam, qui et quarta sabbati, et sexta, plerumque fungimur.* [b] Profitetur igitur suos, hora quandoque vel decima, vel duodecima, stationibus, die sabbati, finem imponere. Ergo istos septimo hebdomadis die stationes fecisse palam est. Nec te offendat, quod expressa stationis vox in commate ex citato non adsit, hanc enim tota disputationis series, vel non quaerenti lectori, modo non oscitanti, suggerit. Et hoc quidem sabbati die, solo, veram praestabant Montanistae stationem, reliquos dies mox stationis forma, quae est precatio, omnisque vna huius cerimoniae honos, destituit.

§. XXV.

Nón magis autem *stationum* numerum et dies, quam antiquos *limites*, turbauit Montanus.

[b] TERTVLLIANVS *Lib. cit. c. X.*

nus. Cum enim Chriſtianos ſuas, quas longiſſimas faciebant, ſtationes, non vltra tertiam producere horam videret, id ignauiae interpretatus ſignum, II. *ad veſperam vsque protrahi a ſuis ſtationes voluit.* Quam cauſſam Tertullianus prolixe defendens,[c] victoriam, ſi quam reportauit, inſcitiae ſolum aduerſarii, eiusque debilioribus armis debuit. Nos quidem iſtam litem noſtram non facimus, id tamen pugnantibus praedae ſurripimus, vt paullo accuratius ſtationum Montaniſticarum moram cognoſcamus. Non omnes nempe ſuas ſtationes ad veſperam vsque produxerunt, ſed illas tantum, quas die Mercurii, et Veneris, noua lex exigebat: caeteras, quae ſabbati die celebrabantur, nonnunquam, vel potius plerumque, aut decima hora, aut duodecima, concludebant. Id verba iam ante adducta, nullo enucleata commentario, quemuis docent lectorem: *non quaſi reſpuamus nonam, qui et quarta ſabbati, et ſexta, plerumque fungimur.* [d] Tantum de menſura ſtationum Montaniſticarum hucusque nobis reſciuiſſe contigit.

§. XXVI.

[c] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. X.*

[d] ID. *l. c.*

§. XXVI.

Nunc ſi ex nobis quaeras, quid vel incrementi, vel damni, e nouellis Montani legibus ceperint ſtationes? commodum quidem nullum, detrimentum vero duplex, et maximum, pio Eccleſiae primitiuae inſtituto datum accipe. Ad abrogandas enim, certe in ieiunia vertendas, ſtationes omnia video Pſeudoprophetae conſilia conſpirare. Olim quidem ſtationum haec praecipua fuit dos, vt, cum temporibus quis ſuis admoneretur, cum etiam cupidiſſime vellet, tum demum ſtationis ſuſciperet faciendae officium. Eiusmodi ſtationes certiſſima ſeſe commendabant vtilitate, nec quicquam reprehenſione dignum habebant, praeterquam, quod, praeter rem, et certam cauſſam, in diem Mercurii Venerisque differri ſolerent. Stationes autem communiter ab omnibus, et ſtatis diebus, peragendae, neceſſario, pro rerum humanarum conditione, ita excidebant plerumque ſua vtilitate, vt ne quidem nomen amplius ſtationis mererentur. Quas enim putes illas eſſe preces, et quidem longiſſimas, quas non ſolum crebrius, quam velis, ſed etiam cum omnino non velis, quin etiam cum negotiis, vel aliquo affectu, impeditus non poſſis, nihilominus ex praecepto ſuſcipias? Quid aliud coniicere licet? quam plurimos, imprudenter Montani le-

gibus obſequentes, aut parum, aut nihil, temporis, indicta ſtationis die, precationibus dediſſe, hoc eſt ſtationem omnino non feciſſe, iſta tamen ſtationis larua deluſos, veram ſtationem, quam, temporibus ſuis admoniti, alioquin feciſſent, omnino omiſiſſe. Accedit, quod tantam ſtationum multitudinem nec ciuitatis, nec rei familiaris, ſtatus admitteret, cui vtrique tot dierum vacatio certiſſimum maximumque afferebat damnum. Ex ipſo etiam Tertulliano iam diſcimus, quam valde iſtae ſtationes, et vxorum officiis,[e] et militum ſtationibus,[f] quanto magis negotiis publicis, quae forum, et curia, exigit, aduerſarentur. Qua re factum eſt, vt plerique officio ſtationis praeclare ſe functos arbitrarentur, ſi inediae aliqualem moleſtiam aequo animo ſuſtinuiſſent. Igitur, cum plurimi huius ſectae homines, ſtationum diebus non orarent, ſed ieiunarent, paulo poſt in Graecia, et alibi, quo Montaniſticum virus peruaſit, ſtationum vſus, ac nomen ipſum, exſpirauit, ieiuniorum autem, tanquam neceſſarii officii, nomen vbique ſolum perſonare coepit. Praeuidiſſe videtur, Tertullianus imminentia, ſed cum ſtationum internecione coniuncta, ieiuniorum incrementa, nec tamen, vt pio primitiuae ecceleſiae inſtituto

[e] Vid. §. V. p. 14.

[f] Vid. §. XII. p. 40.

tuto parceret, tanta vrgebatur nouorum ieiuniorum fame, in animum potuit inducere.

§. XXVII.

Graecam legimus Ecclesiam, et, magna ex parte, Africanam, magno consensu, die quarto sextoque cuiusque hebdomadis, inde a seculo quarto, ieiunium celebrasse. Cuius consuetudinis originem, cum Epiphanius [g] ad Apostolorum vel praeceptum, vel exemplum, retulit perquam inscite, multo eam quis rectius a Montanistarum legibus deduceret. Ab his accepisse Graeci videntur communium, et crebriorum, stationum legem. Quia enim, vti ostensum est, verae stationes nec communem omnium hominum in aliquo die consensum, neque stata ferunt tempora; id homines, quod in viribus suis erat positum, praestabant, nempe ieiunia. Hanc vt Graecorum ieiuniorum originem reddam, quantum fieri argumentis potest, verisimilem: id 1) contendo, omnia ieiunia, quae non vltra horam tertiam producuntur, e stationibus, quae olim non erant ieiunia, suam traxisse originem. Si enim, quod omnes ieiuniorum praeceptores voluerunt, in ieiunio quaedam, nec

ea

[g] Conf. IOANNES DALLAEVS *de ieiuniis et Quadragesima Lib. IV. c. V. p. 713.*

ea leuis, afflictio corporis inesse debet, nimis molliter eos ieiunare censeo, qui non vltra horam tertiam a cibo abstinent. Differre hoc potius, vt cum Tertulliano loquar,[h] pabulum est, quam recusare, aut ieiunare: exploratumque habemus, Tertulliani aetate talem inediam ieiunii nomine Christianis non venisse.[i] Igitur, cum illa inedia, quae quondam pro ieiunio habita nec est, nec commode haberi potuit, non longe post, magno consensu, istius acceperit nominis honorem, quid aliud suspicari licet, quam ex diuersarum rerum confusione, et plebeio quodam errore, id quod olim ieiunium non fuit, in ieiunium mutatum esse? 2) Cum vero ieiunium Graecorum, aliorumque, non vltra tertiam horam producatur, haecque ipsa hora antiquas finierit stationes, nonne id palam nobis facit, pro statione longa, ieiunium breue homines substituisse? 3) Porro, cum ieiunia diebus Veneris, et Mercurii, a Graecis suscipiantur, idemque dies stationibus olim dicati essent,[k] vera autem ieiunia die saltem Veneris peragerentur, altero hoc indicio, noua ista ieiunia suam, e stationibus, originem produnt. Vnum 4) restat, quomodo stationes, quae quouis Mercurii, Veneris-

[h] §. VI. p. 16.
[i] §. XXIII.
[k] §. II. p. 7.

Venerisque, die, paucorum consensu, agebantur, in ieiunia versae sint omnibus communia? Id vero ad leges Montanistarum totum refero, qui stationes, non pro temporibus, et caussis, cuiusque, sed in vniuersum ab omnibus praestari voluerunt. Breuiter vt dicam, cum appareat ieiunia Graecorum, quarti seculi, a stationibus veterum nihil differre, quam quod sint publica, et omnibus communia; cum porro res ipsa demonstret, si indictae sint, et frequentes, stationes, nihil plerosque aliud, quam inediam, stationum diebus praestare; Graecorum sic dicta ieiunia, quae non vltra tertiam trahebantur horam, quis dubitet eo modo esse nata, quo nasci non solum potuerunt, sed etiam, vt est natura hominum comparata, nasci debuerunt?

§. XXVIII.

Vereor, ne subductas rationes nostras disturbari nonnulli putent, partim montanisticae haereseos inuidia, quam non videantur coeco tot Ecclesiae consensu comprobasse; partim mensura montanisticarum stationum, cui ieiunia Graecorum non respondeant. I. Montani fateor, et, quae iugiter ipsi adhaeserunt, muliercularum visiones, etsi pro diuinis iactatas, non

vsque adeo multos effascinasse; mandata vero, et nouas huius gregis leges, sua se singularis specie pietatis probasse plurimis non dubito. Quin Montanistas quoties dico, toties non exiguam quandam coitionem, sed latissime per plurimas, amplissimasque, prouincias sparsam sodalitatem cogito, cuius membra, communicatis inter se consiliis, summa vi nitebantur, vt quam plurimos in societatem erroris pertraherent. Quam strenue autem suae incrementis sectae operam dederint, e Tertulliano disco, qui insigne nobis arcanae, ob vetustatem, Montanismi Historiae fragmentum sistit: *Aguntur*, inquit, *praecepta per Graecias illas, certis in locis, concilia ex vniuersis Ecclesiis, per quae et altiora quaeque in commune tractantur, et ipsa repraesentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*. Neue ea putes concilia ab orthodoxis esse Ecclesiis celebrata, calumnia istis aspersa, oportune cauit. *Vide*, pergit, *quam bonum, et quam iucundum, habitare fratres in vnum; hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum compluribus coenas.*[1] Si igitur saepius, ex dissitis Ecclesiis, ad concilia confluxere haereseos primipili, de qua re magis, quam

[1] TERTVLLIANVS *de ieiuniis c. XIII.*

quam de amplificandi coetus sui subsidiis, eos cogitasse putes? an vero eosdem et ad concilium contendentes, et domum redeuntes, nihil in itinere purioribus Ecclesiis veneni, aut, vt mitius dicam, fermenti adspersisse credis? Qui igitur error, ob aliquam sanctitatis speciem, a paucis exemplis, breui tempore, per contagionem ad plurimos pertingere potuisset, hunc tot ministris, et machinis, tortum, non ad longissime dissitas ecclesias, et in vnaquaque ad omnes, facile peruenisse credamus? Ieiunia autem sua quod a Montano Graeci acceperint, eo facilius mihi persuaderi patior, quod alterum quoque eiusdem errorem, iterati nempe coniugii odium, altissime mobilibus Graecorum animis infixum videam.

11. Quod vero ieiuniorum mensuram a Tertulliano descriptam attinet, huic Graecorum quarti seculi ieiunia non amplius ex asse respondere non miror. Vera ista ieiunia, quae commendabant primi Montanistae, hominum, vt videtur, non satis gnari, plus taedii habent, quam vt ab omnibus, ac ne a plerisque quidem, probentur. Putauerim igitur Montanistas, cum aliquot ieiunii horas tantopere suis obstare rebus experirentur, minus eas posthac seuere exegisse. Huius quippe generis consi-

lia in eorum conciliis agitata esse oportet. Quod si enim a belli sui Paracleti oraculis ne latum quidem recedere voluissent vnguem, de quibus rebus in commune conferre potuerint, non apparet. Quae si mutati Montanistici ieiunii coniectura minus statim legentibus placeat, certius quid afferam, vnde mutatio facta magis perspicue cognoscatur. Necesse omnino est aliquando tale quid, quale docui, contigisse. Ingens iam hominum turba stationum nouarum, ad vesperam vsque protrahendarum, opinionem hauserat, neque tamen eius gentis indicia post Tertullianum reperiuntur. Nisi igitur subita aliqua peste exstinctum istud sit hominum genus, aut fatali consensione ieiunia plane abiecerit, necesse est, vt sensim paulatimque ad breuiora illa ieiunia declinauerit. Si autem, quod certum est, Montanistae aliquando, a longioribus, ad breuiora ieiunia transierunt, quidni putemus, ipsos Montanistarum praesules in istis Conciliis suis, post Tertullianum forsitan, arctioribus limitibus, vt sub stationum nomine laterent, ieiunia circumscripsisse, nouum forte, a quo non abhorruisse videtur Tertullianus, [m] Paracletum expectantes, Montanisti-

[m] TERTVLLIANVS *de ieiuniis cap. X.* Eorum, quae ex traditione obseruantur, tanto magis dignam rationem afferre

tanifticam Ecclefiae fanctitatem ad culmen, quod ipfi confequi non poffent, aliquando perducturum.

§. XXIX.

Interim ieiuniorum frequentia, fiue a Montaniftis imperata, fiue, quocunque alio homine obftetricante, e verae infcitia religionis enata, rariorem certe attulit ftationum vfum, deinde etiam neglectum, denique obliuionem. Quod enim, feculo quarto a Chryfoftomo, aliis, ftationis vocem nonnunquam legimus vfurpatam, id ad veteres ftationes, a nobis explicatas, nihil pertinet. Sed apud Graecos primum exftincta eft ftationum religio; in Romana autem, aliisque Italiae, quas Montani haerefis non occupauit, Ecclefiis paulo diutius viguiffe videtur, tametfi feculo iam quarto, per nouas tunc introductas ieiuniorum leges, vigilias, dies Martyrum feftos, fimiliaque inuenta, iftis quoque in regionibus obfoleuerint. Vox vero ftationis, prima fua, et augufta, fignificatione iamiam orbata, poftea femper incerta errauit, atquenunc in hac,

 nunc

afferre debemus, quanto carent fcripturae auctoritate, donec aliquo coelefti charifmate aut confirmentur, aut corrigantur.

nunc in alia, exili pietate denotanda aliquamdiu haesit, iustum autem Christianorum officium, in quo perpetuo consisteret, non inuenit. Eam vero rem, diligentius si sit exponenda, cum prolixam desideret historiam, nos non quidem vt indignam, sed tanquam libri nostri, quos esse volumus, limites excedentem, praetermittimus, satis habentes, si quaerentibus, quid sit statio? dissensu interpretum impeditis, aliquid saltem luminis, doctrinaeque certioris, attulisse doctioribus videamur. Quod si quis omnibus, quam nos sumus, rebus instructior venerandi huius ritus historiam, ordine pertexere, quin etiam, quomodo in stationis voce posteri varie luserint, per seculorum seriem exponere, nostra forte scriptione excitatus, in animum inducat, remque conficiat, huius beneficio non solum nos, sed et omnes, quorum nomine spondemus, antiquitatum cultores magna solicitudine liberatos grato profitebimur animo: sin vero rem, quam nemo occupare voluerit, olim nobis sumamus, rei, vel mediocriter gestae, eo faciliorem nos veniam impetraturos confidimus, quanto plus rei literariae interest, istud, vel simile quid, quomodocunque ab aliquo agi, quam ab omnibus penitus omitti.


* * *

* * *

SERIES COMMENTARII.

§. XVI.





STATIO-

VIRO
SVMME VENERANDO, EXCELLENTISSIMO
PRAENOBILISSIMO
DOMINO
ALBERTO MENONI VERPOORTENNIO
SS. THEOL. DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO CELEBERRIMO, AD AEDEM SS. TRINITATIS PASTORI VIGILANTISSIMO, ILLVSTRIS ATHENAEI GEDANENSIS RECTORI SPECTATISSIMO

PATRONO MEO
PIE VENERANDO

VIR SVMME VENERANDE,
EXCELLENTISSIME,

Quod dudum intra animum mecum agitaui, vt aliquod meae erga TE pietatis publicum ponerem monumentum, eius rei gerendae facultatem exiguus hic mihi dat, de ſtationibus, libellus, publicas inter ſacrarum antiquitatum recitationes enatus. Video enim doctrinam his paginis expreſſam, quippe innocentem, ſed arduis quaeſtionibus implicatam, non tam defenſoribus egere, quam ornamentis. Ex adſcripto autem TVO celeberrimo Nomine maxi-

maxima me duo consecuturum esse commoda arbitror, partim vt lectores ampla TVORVM meritorum recordatione ante oblectati, atque excitati, hilariori fronte ad me legendum accedant; deinde vt, cognita nostra in autorem meae, qualiscunque est, doctrinae, pietate, de ipsis statim, quas trado, doctrinis melius sperent: Addo et hoc, vt, si huius opellae, quod fieri nonnunquam solet, me aliquando poeniteat, parata adsit aduersus taedium medela, suauissima TVI Nominis contemplatio. Lectori igitur, et mihi, vna prospexi opera. Restat, ne Tuo, VIR SVMME VENERANDE, damno rebus consulamus nostris neue

nihili forte facias librum, is ex TE, inuito, suum capiat incrementum. Spero autem fore apud TE aliquo in pretio meam scriptionem, si quem, paternum plane, in Gymnasio Casimiriano, olim mihi probasti animum, interea temporis non deposuisti. Tantam vero noui animi TVI constantiam, et venerandam grauitatem, vt si, quemadmodum famae, sic etiam vitae, immortalitatem, quod vellem, accepisses, TVVM quoque crederem in me fauorem nullo esse tempore intermoriturum. Vale.

SVMME VENERANDI
NOMINIS TVI

DEVOTISSIMVS CVLTOR
IOANNES MARTINVS CHLADENIVS.